

# Digitaliseret af | Digitised by



Forfatter(e) | Author(s):

Kierkegaard, Peter Christian.; quam pro gradu  
licentiati theologiæ rite obtainendo publico  
eruditorum examini subjiciet Petrus Christianus  
Kierkegaard ; respondente...

Titel | Title:

De theologia vere christiana præcipue autem  
philosophica ejus parte rite construenda  
commentatio

Udgivet år og sted | Publication time and place: Havniæ : typis excudebat C. G. Schiellerup,

1836

Fysiske størrelse | Physical extent:

122 s.

## DK


Materialet er fri af ophavsret. Du kan kopiere, ændre, distribuere eller fremføre værket, også til kommercielle formål, uden at bede om tilladelse.  
Husk altid at kreditere ophavsmanden.

## UK

The work is free of copyright. You can copy, change, distribute or present the work, even for commercial purposes, without asking for permission. Always remember to credit the author.









3,- 71.


DET KONGELIGE BIBLIOTEK  
DA 1.-2.S 38°



110308010818

+Rex





за  
записи о земельном  
имуществе  
граждан в гипотеках

запись о земельном имуществе

запись о земельном имуществе

запись

запись о земельном имуществе  
запись о земельном имуществе

запись о земельном имуществе

запись о земельном имуществе

запись о земельном имуществе

запись о земельном имуществе

запись о земельном имуществе

запись о земельном имуществе

запись о земельном имуществе

запись о земельном имуществе

запись о земельном имуществе

запись о земельном имуществе

DE  
THEOLOGIA VERE CHRISTIANA,  
PRÆCIPUE AUTEM  
PHILOSOPHICA EJUS PARTE,

RITE CONSTRUENDA

*COMMENTATIO,*

QUAM

PRO GRADU LICENTIATI THEOLOGIÆ  
RITE OBTINENDO

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBJICET

*PETRUS CHRISTIANUS KIERKEGAARD,*

PHILOS. DOCTOR, THEOL. CANDIDATUS,

RESPONDENTE ORNATISSIMO

*CHRISTIANO HERMANSEN,*

THEOL. CANDIDATO.

---

DIE FEBRUARII H. L. Q. S.

HAVNIÆ.

TYPIS EXCUDEBAT C. G. SCHIELLERUP.

M D C C C V X X V I .

THEOLOGIA AETERNE CHRISTIANA  
PRÆCIPUE AUREI  
PHILOSOPHICÆ TULÆ PARVÆ

THE CONSTITUTIONS

*Hanc dissertationem admitti posse credidit  
ordo Theologorum Hauniensium, ut pro gradu  
Licentiatæ Theologiæ rite obtinendo publicæ ex-  
plorationi subjiciatur.*

Havnæ d. 24 Octobr. 1835.

*M. H. Hohlenberg,  
p. t. Decan. Fac. Theol.*



A lym isteas maximaq[ue] ophir suo nomen mutauit  
deus nos aet[er]no misericordia & noscencia  
sicut apud illuc ab eorum in nobis invenimus  
et certe utrumque conuersis audiliis, sicut  
dicitur quia natus est a deo in uincula seruus  
pro ibus nichil nisi audiliis audiret noscere credere  
et timere. Et cum A[n]t[onius] P[at]ri p[re]ceptu, sub  
eiusmodi sententia p[ro]feratur, ut p[ro]p[ter]a omnes illas a  
sepi[us] negat, videtur ei sententia non credendi  
filiorum credendi.

### § 1.

**T**heologiam Christianam recte definire videntur,  
qui scientiam positivam esse dicunt, cuius objectum  
sit atque materia religio Christiana, subtilem igitur  
intelligunt atque eruditam de ea doctrinam. Quam  
sententiam licet non ignorem a recentioribus qui-  
busdam theologis non tam improbari ac refutari,  
quam evitari et vi sua ea ratione privari, ut do-  
ceant, theologiam esse conjunctionem quandam  
scientiarum atque artium ad religionem Christianam  
& necessitatem regendae ecclesiæ relatarum, quæ  
vero neque e religione nascantur et demto illius  
conjunctionis vinculo per se possint subsistere<sup>1)</sup>:

---

<sup>1)</sup> Schleiermacher Kurze Darstellung des theo-  
logischen Studiums (1830) § 1—8; Hagen-  
bach Encyclopædie und Methodologie der theo-  
logischen Wissenschaften (1833) §. 19 & 20.

tantum tamen esse video ceterorum nostri ævi & theologorum & philosophorum circa eam rem consensum, quantum in summa de singulis fere religionis capitibus dissensione unquam existere potuisse magnopere mireris<sup>1)</sup>). Neque vero antiquioribus auctoritatibus destituitur hic definiendi modus, utpote qui & Thomæ Aquinati placuerit & a celeberrimis præteriti temporis in nostra ecclesia theologis non fuerit nisi eatenus mutata, ut in ipsa definitione de fontibus ac fine theologiae nonnihil adjiciendum putarint<sup>2)</sup>). Quamobrem, etsi probe tenemus, nominalem fere esse eam, quam commemoravimus definitionem, et quæ ad veram ejus, quod definiatur, naturam perspiciendam, nisi prius de religione constiterit, non ita multum conferat: ta-

<sup>1)</sup> Rosenkranz Encyclopædie der theologischen Wissenschaften (1831), Vorerinnerung pag. 8; Danz Encyclopædie und Methodologie der theologischen Wissenschaften (1832), Einleitung § 8; Hahn Lehrbuch des christlichen Glaubens (1828) §. 8; Bretschneider Handbuch der Dogmatik der evangelisch-lutherischen Kirche (1828) § 3.

<sup>2)</sup> Thom. Aquin. In magistrum sententiarum (Venetiis 1586), in prologum quæst. I art. 1; Joh. Gerhardi Loci theologici (ed. Cotta), prooemium in exegesin uberiorem articuli de scriptura sacra; C. E. r. Brochmanni Universæ theologiae systema (Hafn. 1633), dissertat. de theologia universe considerata cap. 1.

men illud, quantulumcunque est, quod ex ea, intacto illo de religione definienda loco, erui potest, quoniam & ad quæstionem nobis tractandam non nihil videtur habiturum momenti & a plerisque oblivioni est traditum, in lucem proferre ac tueri conabimur. Sequitur enim, si quid video, ex ea, quam commemoravimus, definitione, ut, siquidem ab objecto speciem recipiat descriptio, nisi perfecta fuerit suamque plene manifestaverit naturam, quæcunque est & qualiscunque, religio, plena ac perfecta existere non possit theologia. Quid enim est aliud vel scientia vel doctrina de aliqua re, quam ejusdem rei, qualem se ipsa manifestavit, accurata descriptio? Unde antem plena atque accurata descriptio rei nondum perfectæ aut nondum plene manifestatæ? Quod sicut esse videtur per se clarum, ita & auctoritatibus gravissimis & ratione firmissima comprobatur.

Primum enim apparet, celeberrimam illam Anselmi Cantuariensis vocem, qua, non suo magis nomine quam universæ ecclesiæ omniumque theologorum vere Christianorum, fidei primas partes tribuit, intellectui secundas<sup>1)</sup>), a nostra sententia ver-

<sup>1)</sup> Oper. cur. Gerberon, Epistol. 41, De fide trinitatis cap. 2, Proslog. cap. 1: "Neque enim quero intelligere, ut credam, sed credo, ut intel-

bis quidem differre, ceterum reapse eodem redire, quippe quum Anselmo ceterisque, qui cum eo faciunt, fides nihil aliud esse possit nisi religio, non subjective solum sed objective quoque spectata (fides in fidem sive fides veritatis<sup>1</sup>), intellectus autem de fide fideique objecto doctrina. Deinde si ab illo quæri posset, qua ratione niteretur illa sententia, eandem, opinor, afferret auctor ontologici, quod vocant, pro exsistentia Dei argumenti, qua nos quoque sumus usuri<sup>2</sup>). Utut enim vacillat ra-

ligam; nam & hoc credo, quia, nisi credidero, non intelligam.” Eandem autem sententiam non leviter attigisse, sed gravissimis verbis inculcasse constat & Augustinum (In Johannis evangeliū tractat. 27 §. 7 & 29 §. 6, ed. Maurin. Antverpiæ 1700) & Lutherum (Auslegung des Vater Unsers vor die Layen, Oper. ed. Lips. tom. IX. pag. 363. 364, Auslegung des Magnificat, IX p. 378. 379, Auslegung des Evangelium am Tage Andreæ, XIV. p. 444 cet). Quos tamen omnes vincit & antiquitate & auctoritate Petrus, in vera petra ita ædificans, ut & de se & de ceteris apostolis testari queat, eos a fidei initiosis ad cognitio-  
nis incrementa pervenisse (Joh. 6, 69).

- <sup>1)</sup> Cfr. Von der falschen Theologie und dem wahren Glauben, eine Stimme aus der Gemeinde durch H. Steffens (1831) pag. 230 — 236, & 2 Thess. 2, 13.
- <sup>2)</sup> Nititur etenim illius argumenti, si quid video, ef-  
ficacia eodem, quo hæc nostra argumentatio, fun-  
damento, nimirum illa, quæ inter essentiam &

tiocinatio humana, multiplicibus erroribus obnoxia, arctis limitibus circumscripta, bini sunt tamen omnis intelligentiae omnisque ratiocinationis veluti cardines ac plane fundamentales propositiones, quarum neutram sanæ mentis quisquam negligere nedum negare possit. Earum prior est, esse aliquam, quæcumque demum sit, veritatem, — quippe quod negare omnino non possis, quoties autem negare coneris, affirmare cogaris<sup>1)</sup> —; posterior eo valet, ut illa ipsa veritas sit alicujus rei, quam exprimat, quæque per eam manifestetur, qua igitur sublata, et ipsa tollatur necesse sit, — qua propositione non nititur solum tanquam fundamento decentatum illud Scholasticis doctoribus, nullius nulla esse prædicata, verum illustrantur etiam & emendantur celeberrimorum quorundam antiquitatis philosophorum subobscuræ eadem & profundæ de rebus divinis sententiæ<sup>2)</sup>. Quæ quum ita sint, fa-

manifestationem non potest non obtinere, relatione ac nexu, qua de re haud poenitebit consuluisse librum, qui inscribitur Theologisk Maanedsskrift udgivet af N. F. S. Grundtvig og A. G. Rudelbach, vol. II. pag. 20. 23.

<sup>1)</sup> Conferatur Danne-Virke af Grundtvig vol. III. pag. 20 sqq.; Theologisk Maanedsskrift, vol. II. pag. 14 sqq., VI. pag. 225 cet.

<sup>2)</sup> Platonis de republica dialog. VI. pag. 508. 509 (ed. Stephan.); Philonis De vita Mosis lib.

cili conclusione efficitur, ut veritas natura sua se-  
cunda sit, quam materia, cuius est objective spec-  
tata manifestatio, subjective autem considerata ag-  
nitio, necessario, si minus tempore, at vi atque  
efficacia, antecedat. Idem porro commendare vide-  
tur sacrarum literarum auctoritas. Quum enim  
in libris Novi Testamenti summa illa, quam velut  
e longinquo salutatam celebrant Iudeorum sa-  
pientes<sup>1)</sup>, inducatur veritas (Joh. 1, 1 sqq. 14, 6.  
17, 17. Apocal. 19, 12. 13. Luc. 1, 2 collat. Col.  
1, 15. Hebr. 1, 3. Joh. 14, 9) et assumta carne hu-  
mana de se testimonium reddat et ita sibi eadem  
omnia, quæ patri coelesti vindicet, ut ei tamen  
singula accepta referat (Matth. 11, 27. 28, 17.  
Joh. 5, 19. 20. 22. 23. 26. 27. 30. 17, 2. 7. 22.  
24 cet.): quis est homo Christianus, qui non, dum  
profunda veneratur Patris Filiique nulli creaturæ

III. pag. 162 (Oper. cur. Th. Mangey), De  
confusione linguarum pag. 414. 419.

<sup>1)</sup> Conferantur præter eos, quos modo commemora-  
vimus, & plures alios Philonis locos Prov. 8,  
22-36; Sapientia Salomonis 7, 21 sqq. 26 sqq.  
capp. 8. 9. 10. 18, 15. 16; Siracid. 1, 1. 4. sqq.  
24, 3-10. Quod autem de veritate intelligimus;  
quæ in his locis proprie de sapientia & de verbo  
dicta esse videntur, id, qui vel, earum idearum,  
quænam sit mutua relatio, cogitando assecutus  
fuerit, vel Johannis apostoli hac de re oracula  
consulere voluerit, neutiquam mirabitur.

penitus perspicienda mysteria, intelligat tamen, de originaria & genuina essentiam inter & manifestationem relatione nonnihil hic nobis indicari, quo si tanquam norma in scientia humana tractanda & aestimanda usi fuerimus, prudenter egerimus.

Haudquaquam igitur — ut, unde sententiae nostrae paullo accuratius explicandae ac tuendae studio degressi sumus, eo revertamur — haudquaquam dubitamus, quin nisi religionis plene manifestatae ac perfectae plena & consummata, nomine digna, esse non possit theologia: perfectionem autem non absolutam aliquam, summis ideis metiendam, intellectam volumus, verum eam, quae sit uniuscujusque religionis, ad id, quod ex ipsius natura summum est, perductae et, ut ita dicam, maturitatem assecutae, quam igitur nihil obsit quominus pluribus una religionis formis contingere posse, imo vero Patriarchali, verbi causa, religioni in Enocho fortasse aut Abrahamo, Mosaicæ in Johanne Baptista aut alio quopiam revera contigisse statuat aliquis. Et hic quidem subit mirari, quid sit quod, licet a clarissimis quibusdam præteritorum seculorum viris non sit, ut supra monstravimus, proposita solum, verum etiam de meliore nota commendata ea, quam nos quoque pro virili vindicare conati sumus, doctrina de vitæ præ scientia prærogativa, de theologia igitur non aliter quam per plenam religionis manifestationem et cum ea simul

perficienda, hic tamen parum efficax fuerit eorum auctoritas. Cujus rei lucidum commemorare possumus exemplum. Sequitur enim ex illa doctrina necessario, nihil aliud esse posse vel optimas quaque ingeniosissimorum virorum theologiae præcipue systematicæ expositiones, nisi de statu religionis Christianæ, qualis auctorum tempore obtinuerit, testimonia quædam, non potuisse igitur unquam ad consummatum theologiae systema propius pervenire, quam ille ad perfectam religionis Christianæ manifestationem accessisset<sup>1)</sup>). Quæ quum ita sint,

<sup>1)</sup>) Cfr. Danne-Virke III. pag. 219 sq: En bibelsk Lærebygning, naar den er bedst, er jo dog aabenbar ikke andet, end en historisk Beretning om, hvorvidt den menneskelige Forstand er kommet i Bibelen. Rudelbach Indledning til en ny Bearbeidelse af den christelige Dogmatik (Mannedsskrift for Christendom og Historic af J. Chr. Lindberg vol. II. pag. 35). Hagenbach Encyclopædie und Methodologie der theologischen Wissenschaften §. 20: Da die christliche Theologie, als Inbegriff der auf die christliche Religion und Kirche Bezug habenden positiven Kenntnisse (und Fertigkeiten), nur durch das Dasein einer solchen Religion und Kirche bedingt ist, so lässt sich auch ihr wissenschaftlicher Charakter nur aus der jedesmaligen Gestaltung des Christenthums selbst begreifen. — Immerhin war die theologische Wissenschaft, wie sie in einer Zeit oder in einer Gegend sich ausbildete, durch

qui fit igitur, ut tantum non omnes, qui ad theologia tractandam ipsi accingantur, aut raro aut nunquam hæreant, nusquam facile ignorantiam fateantur de momentis religiosis nondum vi sua & efficacia cognitis, raro in mediocritate quadam cognitionis, quæ sit infra notionis fastigium posita, subsistere dignentur, immo vero systemata, ut ipsis quidem videtur, sistant nobis nulla ex parte manca vel debilia — quasi vero aut nunc vigeat, quam possit maxime, divina nostra religio, ac non potius in plerisque ecclesiæ membris intermortua animam agat, in aliis nuper admodum reviviscere coeperit, aut quidquam aliud quam vanam speciem habere possit exacta forma in summa materiæ obscuritate & debilitate. Qua de re hoc loco sufficiat monuisse lectores.

## § 2.

Nobis jam capessenda erit, ad quam ultiro invitare videntur, quæ hactenus disputavimus, quæstio, quid sit tandem in religione Christiana ex ipsius natura summum, quando maturitatem merito dicenda sit esse assecuta. Quæ res non adeo erit difficilis judicatu.

Religio nimirum Christiana, utpote quæ non

die jedesmalige Lebensrichtung der Kirche selbst bedingt.

eruditis potissimum & ingeniosis hominibus, sed simplicibus & idiotis sit nata (Matth. 11., 25. I Cor. 1, 18-29. 2, 4-6), quænam sit & qualis, non obscuris verborum ambagibus, verum aperte & rebus & verbis haud ambiguis ostendit<sup>1</sup>), omnes quippe, qui beneficiorum per Christum hominibus oblato-rum participes fieri cupiunt ad sacrum lavacrum invitans, ubi ad vitam æternam renascantur. Ad hoc autem universæ ecclesiæ testimonium, licet id a plerisque familiarum Protestantium theologis partim negligi partim ignorari videamus<sup>2</sup>), eo magis

---

<sup>1)</sup> Equidem nihil esse video, teste historia, impedimento, quominus, quæ de se Paulus apostolus prædicat, eadem de ecclesia prædicentur: rejectis eam latebris dedecoris non ambulare in astutia, neque dolo tractare sermonem Dei, sed manifestatione veritatis commendare semet ipsam apud omnem conscientiam hominum coram Deo (2 Cor. 4, 2).

<sup>2)</sup> Quanto verius fuerit reformatorum hac de re judicium, quam quod ab eorum inde tempore ad nostrum usque dominatur, alibi a nobis monstrabitur: hic commemorasse sufficiat eos viros, per quos proximis his annis ad saniorem ea de re doctrinam revocati sumus & revocamur, qui, licet in quæstione dudum oblitterata non omnia omnes viderint ac de quibusdam inter se dissensiant, manifesto tamen ad plenam rei veritatem appropinquare deprehenduntur: Marheinecke Die Grundlehren der christlichen Dogmatik (1819) §. 621. 627. 638. 667. 673. 676 sqq.; Gründt-

provocandum putamus, quod novimus, Paulum apostolum, quem posset auctoritate apostolica doctrinam suam confirmare, eodem tamen, tanquam ad id, quod singulis Christianis, sive ab ipso sive ab aliis ad fidem adductis, non posset non esse cognitum, in epistola ad Romanam ecclesiam, omnium Occidentis ecclesiarum matrem futuram, data provocare maluisse. Paulus enim, quem prohibendum esset, ne quis gratia Dei in Christo revelata ad carnis licentiam abuteretur (Rom. 6, 1 sqq.): "Num ignoratis, inquit, quod, quicunque baptizati sumus in Christum Jesum, in mortem ejus baptizati sumus? Concepulti ergo sumus ei per baptismum in mortem, ut, quemadmodum suscitatus est Christus ex mortuis per gloriam Patris, sic & nos in novitate vitae ambulemus. Nam, si insiticii facti

vig Kirkens Gjenmæle (1825), Om den sande Christendom og Om Christendommens Sandhed (theologisk Maanedsskrift IV-IX), Skal den lutherske Reformation virkelig fortsættes (Maanedsskrift for Christendom og Historie vol. 1 & Evangelische Kirchenzeitung von Hengstenberg vol. 11, fasc. 2); Delbrück Philipp Melanchthon der Glaubenslehrer (1826), Erörterungen einiger Hauptstücke in Schleiermachers Glaubenslehre (1827); Rudelbach das Wesen des Rationalismus (1830); J. Chr. Lindberg Historiske Oplysninger om den danske Kirkes symbolske Bøger (1830).

sumus similitudini mortis ejus, nimirum & resurrectionis participes erimus: illud scientes, quod vetus noster homo simul cum ipso crucifixus est, ut aboleretur corpus peccati, ut non ulti serviamus peccato" cet. Quod argumentum quam sit efficax, sicuti parum expediunt, qui non nisi ex ritu baptismali desumptam afferri statuunt vel allegoriam vel symbolicam interpretationem — quasi vero allegorica quævis ritum baptismalem interpretandi ratio debuerit esse Christianis adeo & familiaris & certa, ut eo provocare potuerit, tanquam ad rem omni dubitatione majorem, apostolus<sup>1)</sup>) —

---

<sup>1)</sup> Evidem nullus dubito, quin animo apostoli, quum versiculo quarto sepulturam commemoraret, obversatus fuerit immersionis ritus, in baptismo ævo apostolico solennis. Verum enim vero, si hic subsistitur (quod a multis commentatoribus fieri constat), tantum non omnino negligitur, in quo latet efficacia argumenti, versulus tertius. Ut enim taceamus, vix satis validum videri argumentum ex symbolica immersionis interpretatione deductum, quod in re tam gravi primarium esse voluerit apostolus et omnibus Christianis, qui Romæ versarentur, sibi ne facie quidem notis, non ignotum esse sumserit: erit tamen, si hoc statueris, fatendum, partim, ad nos igitur, quotquot aspersione baptizemur, non pertinere argumentum apostoli, partim, aspersionis in baptismo usum; quippe quo locus aliquis scripturæ enervetur, graviter esse improbandum. Contra, si meminerimus, quotquot ad baptismum ecclesiæ

ita facile intelliges, si immutato ecclesiæ testimoniio aures præbere volueris. Quum enim, antequam mergamur in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, renuntiare diabolo et fidem profiteri jubeamur in Patrem omnipotentem, in Filium ejus unicum, dominum nostrum, in Spiritum Sanctum,

---

accedant, sive mergantur sive aspergantur, renuntiare diabolo & fidem ecclesiæ profiteri, in promptu est, quo respexerit et merito respicere potuerit Paulus. Debebant etenim & poterant sine dubio, qui renuntiationis & fidei verba sincero animo & attento sua faciebant, primo suspicari deinde experiendo intelligere, in baptismo mori se veteri domino et nova generatione novam vitam inire. Quamobrem recte vidit J. D. Michaelis (Oversættelse af det Nye Testament med Anmærkninger, ad hunc locum), sequi ex his Pauli, verbis, ut cum baptismo conjuncta fuerit institutio, viva voce tradita, de regeneratione, non vidit autem, licet plura adjecta fuisse in sermonibus ad baptizandos & baptizatos ab episcopis habitis nemo dubitet, essentiam tamen ejus institutionis in nostro quoque baptismo, in verbis Novi Foederis, quibus diabolo renuntiemus & fidem apostolicam profiteamur, revera adesse. Ceterum in eandem, quam nos tuemur v. 3tii interpretationem, inclinare videtur Grotius (Annotat. in Novum Testamentum, ad Rom. 6, 3) pro qua etiam militat, quod Paulus, alibi (Rom. 7, 1) verbis η ἀγνοεῖτε de re Iudeo-Christianis solis satis nota adhibitis, ipse limitationem addendam putavit:

*γνωσθεῖτε γαρ νόμου λαλῶ.*

sanctam catholicam ecclesiam, vitam denique æternam: quid tandem, quæso, hæc omnia sibi volunt, nisi ut per baptismum jamjam suscipiendum in illam ecclesiam recipiamur et ad vitam æternam — qua nisi nos carere & ejus jugo premi sentiamus, qui habet postatem mortis (Hebr. 2, 14), frustra venerimus ad ecclesiam, quæ non magis quam Dominus sanos curat (Matth. 9, 12. 13. Rom. 3, 21-26. 1 Joh. 1, 8-10) — ad vitam igitur æternam per Spiritum Sanctum regenerati, filii reddamur Altissimi vitaque Unigeniti participes<sup>1)</sup>? Ea omnia utrum præstet revera baptismus bona fide credentibus, necne, longa est illa ecclesiam inter & mundum controversia, in fine demum seculi æterno judicio dirimenda; promitti autem ea omnia per baptismum ab ecclesia credentibus, neque volet unquam neque poterit negare, utpote quod & verbis & factis quotidie proclamet. Ac ne quis forte ob-

<sup>1)</sup> Afferre liceat, quæ sunt magnorum commentario-  
sum instar, Lutheri ex carmine, quo profes-  
sionem fidei complexus est, verba:

Wir glauben all an einen Gott,  
Schöpfer Himmels und der Erden,  
Der sich zum Vater geben hat,  
Dass wir seine Kinder werden.

Quibuscum conferri merentur ejusdem in libello,  
qui inscribitur Das Taufbüchlein, verba ipsi bap-  
tismi formulæ prefationis instar premissa.

jiciat, fieri tamen posse, ut illa regeneratio debeat aliquando post baptismum, non per eum, sed alia quadam re effici, ecclesia nos ab ipso sacro lavacro statim, precationem Dominicam adhibentes, Omnipotentem illum tanquam patrem nostrum coelestem compellare jubet<sup>1)</sup>), et subinde invitat, ut accepto corpore & sanguine Servatoris cum eo ma-

<sup>1)</sup> Conferantur ex sermonibus Petri Damiani in orationem Dominicam (habentur in tomo septimo Spicilegii Dacheriani) secundus & quartus, in quibus: "Ubi sunt, inquit, qui de Dei promissione diffidunt? Ecce quam cito est fidei remunerata confessio; mox ut Deum unici Filii confessus es Patrem, tu ipse es Dei Patris adoptatus in filium, ut esses coeli hæres, quia paradisi exul habebaris & terræ. Et ideo nunc vocas: Pater noster, qui es in coelis. — Quid valeat fides, credulitas quid possit, sit quanta confessio, hodie monstratur in vobis. Ecce trinitatis tria confessio in coelestem sobolem de terrena vos sustulit servitute: ecce fides, quæ Deum locuta est Patrem, Patrem vobis Deum hodie conquisivit; ecce vox, quæ confessa est Dei Filium, vos Dei adoptavit in filios; ecce credulitas, quæ Deum Spiritum proclamavit, de carnis substantia mortali in vitalem spiritus substantiam vos mutavit." Quæ dicta ideo quoque exscribenda putavimus, quia egregie faciunt ad monstrandum, quanta fuerit vel eo ævo, quod vulgo tenebris inscitiae obrutum fuisse dicitur, in doctribus vere religiosis de mysteriis gratiae divinæ scientia: ceterum eodem redeuntia invenies apud Augustinum (serm. 56 §. 5, 59 §. 1. 2).

gis magisque coalescere velimus, id quod, nisi ger-  
mine saltem jam gaudeamus vitæ, quæ sit ejusdem  
atque ejus vita naturæ, omnino non possit fieri.  
Quamobrem jure nostro, si quid video, concludimus,  
religionem Christianam, siquidem ipsam ecclesiæ  
ore de se testantem audiri oporteat, esse vitam in  
baptismo nascentem, in sacra coena, donec matu-  
ruerit, victu spirituali sustentandam. Quod si ita  
est, et si genuinam religionis notionem ex religione  
Christianâ tanquam perfectissima ejus forma eruere  
licet, erroris igitur convincuntur non ii solum, qui  
aut olim, orthodoxia magis florente quam fide, cog-  
nitionem, aut, vigente philosophia Kantiana, volun-  
tatem unicam esse voluerunt religionis sedem, ve-  
rum ii etiam nostræ ætatis theologi, qui, dum re-  
ligionem unice in sensu quodam ponendam esse  
docent, eum sensum intelligunt, quem a voluntate  
& intellectu cogitatione saltem distinctam comme-  
morat psychologia vulgaris. Sin vero, quæ nunc  
invalescere videtur eam doctrinam interpretandi ra-  
tio, sensum intimum illum vocant vitæ humanæ,  
ut ita dicam, nucleus, in quo inseparabiliter invo-  
luta continentur, ex quo radiorum instar effulgent  
tres illæ, quas vocant, animi facultates: reapse  
ad eorum sententiam reducuntur, qui cum My-  
nistro nostro, dum notionem religionis, in variis  
eius formis magis minusve accurate expressam, per  
abstractionem philosophicam quærunt & investigant

universæ vitæ eam esse dicunt ad summum numen relationem<sup>1)</sup>). In ea autem de religione sententia nihil inesse, quod non possit cum hac nostra de religione Christiana conciliari, satis esse opinor per se manifestum. Et hoc quidem obiter.

Ceterum illius vitæ quænam sit causa & substantia, non erit longe repetendum. Etenim, si cum Augustino & Luthero fatemur, verbum esse, quod sacramenta constitut<sup>2)</sup>), Johanni autem apostolo credimus, unigenitum Dei Filium æternum esse Patris, in quo vita sit, Verbum (Joh, 1, 1. 4. 14. 18); non videtur posse dubitari, quin, sicuti subjective, ut loquuntur, considerata & singulorum fidelium & universæ ecclesiae sit vita, in sacro lavaero nata, in sacra coena confirmata, ita objective spectata divina sit vivificans vis et natura, Patris omnipotentis Verbum, in verbis sacramentorum præsens atque agens. Quæ sententia quantopere commendetur neque paucis neque obscuris illis sacræ scripturæ locis, quibus partim vivifica verbi divini, quod in Novo Foedere vigeat, vis, ad Dominum ejusque Spiritum relata, disertis

<sup>1)</sup> Cfr. Mynster Om Begrebet af den christelige Dogmatik § 7-10 & § 15, eoque citante, Baumgarten - Crusius Einleitung in das Studium der Dogmatik 3.

<sup>2)</sup> Cfr. catechismus minor & major.

verbis extollitur (Joh. 6, 68. 14, 6. 1 Cor. 15, 45. 2 Cor. 3, 6. 1 Pet. 1, 23 sqq. Jac. 1, 18), partim Christiani per baptismum regenerati (Tit. 3, 5 coll. Joh. 1, 13. 3, 5), nova creatura (2 Cor. 5, 17. Gal. 6, 15), novi homines (Col. 3, 9-11. Eph. 4, 24) esse et magis magisque fieri dicuntur, qui a lacte inde infantium ad plenum hominem crescant (1 Cor. 3, 1. 2. Eph. 4, 13), quorum vita in Deo nunc cum Christo latens aliquando sit cum eodem apparitura (Col. 3, 3. 4. Eph. 2, 5. 6), immo vero, quorum vita sit Christus in ipsis nascentes atque adolescens (Gal. 4, 19. 2, 20. Col. 1, 27. 1 Tim. 1, 1) — his omnibus quantopere commendetur sententia nostra, quoniam nemo est, qui videat, verbo sufficiet monuisse.

Quum igitur constet, religionem Christianam esse, qualem diximus, vitam, non erit, quo nunc est redeundum, difficile judicatu, quid sit in ea summum atque perfectum. Vita enim illa divina quum sit ex summo hujus vocabuli sensu vera vita (det sande Liv, Sandhedens Liv, cfr. Joh. 1, 4. 14, 6), æterna autem veritas natura sua nihil extra se esse sinat et, quicquid, dum hæc πρόσωπα manent, extra ipsam subsistere videtur, partim omni efficacia, immo efficaciam specie evacuatum mendacio sit et morti h. e. nihilo relictura: sequitur, ut ea non in una aliqua parte sed ita demum ad maturitatem pervenire & perfici possit, si totam

eam, quæ ei velut subjecta est et substrata, materiam omnino fuerit complexa. Eam autem materiam constituunt tum singuli homines, qui, qnum sint ex veritate, a mendacio ejusque auctore liberari cupiunt (Joh. 18, 37. 8, 31. 32. 1 Joh. 3, 8), tum universum genus humanum in Adamo lapsum in Christo restituendum (Marc. 16, 15. Rom. 5, 12-19. Eph. 2, 15). Non prius igitur ad id, quod summum est, pervenisse merito dicetur religio Christiana, quam inter omnes gentes prædicata, ab omnibus, qui sunt ex veritate, recepta (Matth. 24, 14), in singulis fidelibus plenam adepta fuerit victoriam (1 Thess. 5, 23).

§. 3.

Quæ de natura religionis Christianæ in paragrapo antecedente breviter & summatim disseruimus, ea ad finem nobis propositum sufficere arbitramur. Ad eam enim, de qua diximus, perfectiōnem utrum ex doctrina sacrae scripturæ ita perverni velit Deus, ut, singulis hominibus, quando coram ipso maturitatem assecuti sint, ex hac mortali vita evocatis, universi generis humani regeneratio ibi demum appareat, ubi semper cum Domino futuri simus (Joh. 14, 2. 3. 17, 24. 1 Thess. 4, 17), an, quod innuere videntur quidam sacrae scripturæ loci, priusquam in domum paternam, semper ibi

mansuri demigremus, illius regenerationis et generis humani cum Redemptore suo de morte ac diabolo triumphantis veluti festum aliquod celebrari debeat his in terris paradisum referentibus (Apoc. 20, 4. 5, coll. 2 Pet. 3, 8. Rom 8, 19-23. Luc. 14, 14 cet.), quæstionem inter credentes ab antiquissimis inde temporibus agitatam, non nostri iudicii est dirimere. Apparet autem, iis, qui huic sententiæ adstipulentur, non esse dubitandum, quin, manente conditione naturæ humanæ, qualem nos novimus, sed absque peccato, manente igitur discursiva, quam vocant, sed in suo genere perfecta cognitione (Gen. 2, 9), per sabbatum illud magnum (Hebr. 4, 9) theologia revera plena & consummata singulorum hominum futura sit, et ita perfecte impleantur, quæ de ea re agere videntur, prophetarum voces (Jer. 31, 34. Jes. 11, 9); contra, quibus illa se commendarit sententia, iis esse statuendum, fore, ut, quando ejusmodi theologiæ elementa in universa ecclesia & singulis fidelibus, in cognitione non minus Domini quam in gratia crescentibus (2 Pet. 3, 18), singillatim & sparsim extiterint, antequam plenum inde natum fuerit sistema, discursivam cognoscendi & intelligendi rationem abrumpat et absorbeat intuitiva (1 Joh. 3, 2. 1 Cor. 13, 12). Utrum vero statueris, sequitor (in quo hic nobis sunt omnia) ex iis, quæ hactenus dispontavimus, manifesto, ut, quæcunque

ante eam, quam diximus, perfectam religionis Christianæ manifestationem — a qua quam longe absimus, in oculos incurrit vel leviter inspiciunt — quæcunque igitur ante eam vel prodierit vel proditura sit theologiæ expositio, quæ pro plena se & consummata venditet, notionum tantum non ubique crepet veritatem, in adumbratione quadam minus exacta nunquam aut raro subsistere dignetur, quæ non fragmentaria velit haberi nec passim lacunas quasdam ex pleniore religionis manifestatione aliquando supplendas agnoscat, ea vel hoc uno signo gravissimi erroris convincatur; sequitur vero etiam, dupli errorre eos implicari, si qui non per vitam, sed per meram, quam vocant, speculationem, ratiocinando igitur ac philosophando, vel se ad ejusmodi intelligentiam pervenisse dixerint, vel quemquam unquam posse pervenire.

Scio equidem fore, ut multis displiceat hæc sententia, fore, ut undique objiciatur, fieri tamen posse, ut, etiamsi desit illa, quam nos lapidem angularem esse volumus, vitæ Christianæ perfectio, ex recta tamen sacrarum literarum interpretatione, cum aliqua experientia Christiana conjuncta, plena & consummata nascatur theologiæ expositio, quemadmodum ex istis fontibus innumera jam orta esse videamus, quæ auctoribus saltem viderentur, theologiæ systemata. Verum id ut omnino negemus fieri posse, licet inde utilissima & orta esse &

oriri debere persuasum habeamus ad theologiam vere Christianam adjumenta, cogit ratio. Ut enim fateamur, vitam, quæ ἐκτυπωτική in ecclesia vigere debat et aliquatenus vigeat, αρχέτυπον in Domino nostro & Servatore fuisse manifestatam, ut igitur, si ejus nobis tradita esset adæquata descriptio (omnis autem vita quum sit organismus, non potest adæquate nisi in organismo scientiae h. e. systemate describi), accuratam haberemus de religione Christiana objective spectata scientiam: erit tamen probe tenendum, primum, theologiam non esse de religione aut objective aut subjective spectata, sed de utraque scientiam, deinde, ejusmodi descriptionem — qua in re sapientiæ divinæ veneramur vestigia, prohibentis, ne in irritos atque intermortuos carnis conatus abiret, quæ est spiritus efficacia et fructus, imitatio Christi — in sacris literis non occurrere, ex ea autem, quæ ibi occurrat, narratione fragmentario-historica (Joh. 20, 30. 21, 25) si quis ejusmodi descriptionem effingere voluerit, descriptionis descriptionem, hoc est, umbræ umbram nos habituros, non vitæ<sup>1)</sup>). Ad an-

<sup>1)</sup> Quoniam verendum esse non ignoro, ne cui levitatem juvenilem & animum in mysteriis sacrae scripturæ eruendis parum sollicitum prodere videatur hæc umbræ commemoratio, ideoque suspecta reddatur universa nostra doctrina: quicumque ho-

tiquam porro', *κατ' ἐξοχήν* apostolicam, quod attinet ecclesiam, quam etiam quadantenus descrip- tam exhibit codex sacer, est tamen manifes- tum, primum, non esse ullam ecclesiæ partem cum universa ecclesia commutandam; deinde, licet primævam ecclesiam ad id, quod summum est, proprius quam ullam aliam per seculorum decursum ecclesiæ Christianæ formam accessisse fateamur, eam tamen non fuisse perfectam<sup>1)</sup>;

mines haec legent, omnes rogatos volo, quid de me judicent parum, Deo volente, sollicitus, ut attentis animis reputent, numquid sacrae scripture deroget, qui eam ex institutionibus, quarum auctoritas sit humanâ major, constare statuat, neget antem, in institutionibus de re rem ipsam, in narrationi- bus de vita Domini Dominum haberi. In quo, nisi egregie fallor, auctoritatem sequor omni ex- ceptione majorem Domini ac Servatoris nostri, Joh. 5, 39, 40. Quem locum quomodo torserint interpres satis multi, ut efficeretur, Domini esse sententiam, quam ipse opinionem esse dicit Iudaœ- rum, haberî in scriptura sacra vitam æternam, non nescio: verum ipso loco accurate inspecto, fa- cile, opinor, apparebit, docere Dominum, contineri in sacra scriptura de se, vera yita, testimonia, vi- tuperare autem Iudaeos, quod, adversante ipsa scrip- tura, quererent in ea, quam ipsa testaretur extra se aliquando apparituram esse, vitam æternam; coll. Joh. 14, 6, 5, 46, 47.

<sup>1)</sup> Cfrrantur Act. 5, 1 sq. 6, 1. 15, 1. 1 Cor. 3, 2. 3, 5  
1. 2, 6, 1-II. 11, 20, 21. 2 Cor. 12, 20. Gal. 5, 4

descriptionis autem, quam commemoravimus, eandem esse ac eorum, quæ de Domino tradita sunt, rationem. Accedit quod, unde recta ista saeræ scripturæ de vita Servatoris et primævæ ecclesiæ testimoniorum interpretatio petenda sit, non satis liquet: docet enim ratio et confirmat experientia quotidiana, sicut vitæ in universum, ita Christianæ quoque non nisi ea nos revera intelligere, ut ita dicam, momenta, quæ vel ipsi amore amplexi agendo exprimamus vel ita expressa videamus ab iis, quibuscum amoris vinculo conjungamur<sup>1)</sup> — unde factum esse videmus, ut per singulas ecclesiæ periodos alii libri, alii & Veteris & Novi Testamenti loci optime intelligerentur, alii ab iisdem hominibus non solum non satis intelligerentur, sed con-

**10. 2 Thess. 3, 6. 11 sq.** Quibuscum de ecclesia primæva testimonii si quis attento animo conferre voluerit Eph. 4, 7, 13-16. 1 Cor. 15, 45. 47. Joh. 3, 34, quæ hic a nobis disputantur & intelliget facilius & probabit.

<sup>1)</sup> In amore enim quum contineatur complurium entium, ut loquuntur philosophi, in unum veluti conglutinatio quædam, hinc fit, ut, quicquid singula vixerint, quadanterius ad omnia pertinere videatur, quamquam non erit ab altera parte oblivioni tradendum, non potuisse ea unquam amore conglutinari & coalescere, nisi homogeneum aliquid jam antea vixissent & viverent.

tortis explicationibus obscurarentur<sup>1)</sup>). Hæc autem si cui parum efficacia videantur argumenta, at sa- cræ scripturæ concedat auctoritati et vel Paulum audiat disserentem, fieri non posse, ut, quandiu imperfecta sit vita, plena sit cognitio (1 Cor. 13, 9. 10), vel Johanni credat asseveranti, a gradu amo- ris, quo erga Deum et erga fratres affecti simus,

<sup>1)</sup> Evidem haud ægre inducor, ut statuam, quod in explicanda epistola ad Ephesios, quæ debet in doc- trina de ecclesia utramque paginam facere, minus lubenter minusque dextre versati sint Protestantium ecclesiarum theologi, quam v. c. in epistola non minus difficilis interpretationis ad Romanos, ejus rei hanc esse præcipuam causam, quod, sicuti locum de justificatione, in tentationum gravitate dulcedinem ejus expertus, intimis animi sensibus complexus unice adamaverat Lutherus, ita fidem in ecclesiam catholicam, — ex qua perperam ex- plicata adversus veritatem evangelicam crimina peti videret, quibus retorquendis, propter difficultatem traditionis vere apostolicæ a ceterarum tra- ditionum vanitate distinguendæ, non semper par- eset — minus caram habuerit. Unde etiam fac- tum esse videmus, ut "catholicæ" in symbolo fidei "Christianam" substituerit ecclesiam, non sine fidei inter nostrates periculo, imo, ut eventus docuit, non sine damno, licet ipsum nihil aliud spectasse nemo dubitet, nisi ut, sensu haudquaquam mutato, verbi propter rationes illorum temporum ambigui inter sophistas & cavillatores Romanenses abusus tolleretur.

pendere cognitionis perfectionem (1 Joh. 4, 7, 8 & 2, 4, 3, 6 coll. 5, 3).

#### §. 4.

Diximus ac dicimus, id quod probe tenendum erit, præcipue ac principaliter de theologia perfecta sive de gnosi Christiana hoc nomine absolute digna, de iis autem, quæ vulgo traduntur, theologiæ formis non nisi eatenus, quatenus illius sint præparationes atque adjumenta. Perfectæ vero illius de religione scientiæ ut sit vitæ Christianæ perfectio conditio necessaria, sine qua non possint non aut vani esse vel doctissimorum hominum & ingeniosissimorum, in hoc nostrum studium incumbentium, labores, aut Gibeonitarum referre in cultu Jehovæ operam (Josv. 9, 27), eo magis opus esse duximus ut expositum daretur, antequam de ejus perficiendæ via ac ratione ageremus, quo magis eam rem a multis admodum theologis aut pa- rum intellectam aut neglectam fuisse vidimus, ir- repsisse autem magis magisque eam opinionem, tantum abesse, ut religio Christiana sit theologiæ prior, hujusque ab illius pendeat perfectione, ut fides potius, igitur vita quoque fidei, theologiæ præcipue exegeticæ sit filia. Quam opinionem li- cet aperte non multi sint qui amplectantur<sup>1)</sup>, ta-

<sup>1)</sup> Cfr. Eckermann Handbuch für das systemati- sche Studium der christlichen Glaubenslehre

men aut revera fovere intelliguntur aut eo inclinare, quicunque religionis ac fidei eo sensu sacram scripturam esse volunt fundamentum, ut ex ea suo- que de ejus verbis interpretandis judicio traditio-

(1801), Vorrede pag. VI - XVIII, ubi docemur: Was Jesus Christus für einen Gegenstand des wahren Religionsglaubens für alle Bekenner seiner Lehre erklärt hat, das gehört zur christlichen Glaubenslehre, zum Religionsglauben der Christen als Christen... Was I. C. gelehret und für eine allgemeine Glaubenslehre für alle, die ihm glauben, erklärt habe, können wir nur aus der Bibel lernen. Was die Bibel uns in Absicht dieser Frage Lehre, kann nur durch eine richtige Auslegung derselben erkannt werden. Die Bibel zu erklären ist wahrlich nicht jedermanns Sache, und besonders durchaus nicht die Sache des Layen, wenn er auch in anderen Fächern menschlicher Kenntnisse und Wissenschaften ein gelehrter Mann ist. Die Auslegung der Bibel fordert ihren eigenen Mann.... Quibuscum optime congruit, quod perspicuitatem s. scripturæ non ita, ut antiquiores Protestantium theologi (de quibus alibi dicetur) describit, sed in eo ponendum esse docet (pag. 669 - 672), quod religionis naturalis summa tam perspicue in ea tradatur, dass ein jeder ungelehrter, nur redlicher, lernbegieriger und vernünftig nachdenkender Leser durch dieselben sich selbst überzeugen kann, dass die Bibel wirklich göttliche Religionslehren enthalte, und dass Gott durch die Männer, deren Geschichte und Lehre die Bibel in sich fasst, schon vor zweytausend, dreytausend,

nem apostolicam, Novi Foederis & sacramentorum verba, mutari posse ac debere haud cunctentur docere<sup>1)</sup>: quibus quidem si in ea, ex qua egressa est disputatio nostra, theologiae definitione subsistere placuerit, eo erit sensus ejus detorquendus, ut scientiam intelligent de religione Christiana in libris propheticis & apostolicis, in quibus sit thesauri instar recondita, invenienda atque eruenda. Ista autem opinio quantopere nocuerit fidei atque ecclesiæ, non hujus loci est, ut commemoremus, quantopere aduersetur & rei naturæ & sacræ scripturæ, singula fere monstrant eorum, quæ supra disseruimus, momenta. Neque enim, si verum atque uti res est dicere volumus, aliud sapere vi-

ja viertehalbtausend Jahren, diese Wahrheiten den Menschen bekannt gemacht habe. — Eodem porro redit, nisi forte alia est regula fidei Christianorum, alia exegetarum, eorum sententia, qui non simpliciter per piam cuiusvis versionis lectionem, sed ope artis exegeticæ inveniendam esse docent in sacris literis regulam fidei et, altero errore adjecto, negant, sine ea per imperfectam aliquam exegesin inventa perfectam oriri posse s. scripturæ interpretationem. Ex quibus unum afferemus C. I. Nitsch System der christlichen Lehre (1829) §. 43. 44.

<sup>1)</sup> Hanc doctrinam quum nimis multos tueri constet Protestantium theologos, non est, quod quemquam nominatim commemoremus.

dentur, qui ex theologia fidem, ex scientia de vita vitam, (ex libris Christianorum Christianos), quam si quis ex filia matrem nasci contendat<sup>1)</sup>; neque facile fingi poterit quicquam, quod sit iis Servatoris dictis, quibus vel homines ovium instar dispersos (Matth. 9, 36) et coecis ducentibus errantes (Matth. 15, 14. Luc. 6, 39) deplorat, vel se venisse testatur, ut pauperibus lætum nuncium prædicaret (Matth. 5, 3. 4. 6. 11, 5. 28-30), parvulis potius quam sapientibus & prudentibus intelligendum (Luc. 10, 21. Matth. 21, 16), his, inquam, dictis magis sit contrarium, quam si statuerimus, esse iis evangelium illud aut proprio Marte in libris prophetarum & apostolorum inveniendum, quod vix e millibus unus conari nedum efficere yalebit, aut,

<sup>1)</sup> Enhver Videnskab er en Viden om Noget, som Videnskaben ikke frembringer, men som er der uafhængigt af den, og hvorom der söges en Viden. Mynster om Begrebet af den christelige Dogmatik § 4. — En Ting maa baade være sand og troes i Sandhed, förend den timelig kan begribes som saadan. Danne-Virke IV pag. 2. — Alle Forschung bezieht sich auf einen bestimmt gegebenen Gegenstand; über diesen vermag der Forscher nichts, ja die Wahrheit der Forschung ist eben in der völligen unveränderten Sicherheit des Gegenstandes begründet. H. Steffens von der falschen Theologie und dem wahren Glauben pag. 87.

quale a theologis, inter se dissentientibus, ibi tradicatur, tale coeca fide & vero nomine carbonaria arripiendum, quoniam tamen omnes suos exemptos voluerit Dominus jugo eorum, inter quos raro defuerint, qui claves coelorum arriperent, non ut ipsi ingrederentur, sed ut ingredi volentes impedirent (Matth. 23, 13).

Et haec quidem *ως ἐν παρόδῳ*, ne quem forte lateret nostrum in urgenda vitae prae cognitione, pisteos prae gnosi prerogativa consilium. Ceterum, ne, dum urgemus, quae vulgo negliguntur, heic oblivioni tradidisse videamur, in sequentibus autem per subreptionem quandam inducere et lectoriibus obtrudere, quae de iis adjumentis, quibus sublevata per vitae Christianae perfectionem ad perficiendam de ea scientiam niti debeat animus humanus, de via igitur & ratione studii theologici, partim sumturi sumus, partim disputaturi, pauca quaedam hoc loco liceat inserere, quibus illustretur, qui sint et quales vel ad cognitionem vel cognitionis gradus ac modi, quos animus per vitam ad intelligentiam nitens, sive vita humana, ad plenam sui manifestationem simul et clarificationem tendens (Livet i sin Bevægelse henimod dets Selvforklaring), necessario debeat percurrere. Neque enim est consequens, ut, quae necessaria sit perficiendæ cognitionis & ad intelligentiam evehendæ conditio, eadem sit unica, de-

beat igitur, quia, nisi qui expertus fuerit, non intelligat, ideo, qui expertus fuerit, idem statim necessario intelligere; neque vero, quae de perfectione vitae tanquam intelligentiam veram ac plenam ex rei natura semper & necessario præcedente disseruimus, ea ita erunt interpretanda, ac si nulla omnino ad intelligentiam accessio, nulla ejusdem præparatio, nulla igitur inferioris ordinis de vita cognitio ante eam, quam commémoravimus, vitae perfectionem exsistere possit, ex ea autem, tanquam ex capite Jovis Minerva, subito debeat plena intelligentia erumpere. Cujusmodi opinionis monstrum si ex iis, quae de relatione vitam inter & intelligentiam obtinente exposuimus, revera nasceretur, merito rejicienda foret, quidquid speciei haberet, ratiocinatio nostra, utpote quae experientia quotidiana rebusque in facto positis, nemini bene sano unquam addubitatis, manifesto refelleretur, ex quibus commemorasse sufficiet, quod nunquam cessat inter mortales, discendi docendique commercium, in quo, quae ipsi non simus experti, discamus ab iis, qui ea, licet experti sint, se nondum satis intelligere fateantur aut fateri debeant<sup>1)</sup>, et ita quidem discamus, ut qua-

---

<sup>1)</sup> Homines enim, ut bene monet Seneca, dum docent, discunt; & valent ac valebunt in ceteris quoque disciplinis non minus quam in theologia, de magistris non minus vera quam de discipulis,

dantenus cognita ipsi & cogitando & dicendo tractare possimus. Verum non est ita. Alia est quippe intelligentiae, notionem rei in re, rem in notione amplectentis et comprehendentis ratio ac natura, alia vel meri conceptus (Forestillingens) vel cognitionis nondum perfectae h. e. conceptus ad intelligentiam tendentis, quovis, antequam eo per ventum sit, temporis momento considerati. Negavimus & negamus, fieri posse, ut, quæ non vivas et expertus sis, eorum revera peritus sis, ea sensu, quem in hoc verbo constanter retinuimus, strictiore intelligas, hæc autem sententia haudquaquam impedimento est, quominus non concedamus solum, verum ipsi doceamus, esse quædam cognitionis initia & profectus, sive ad intelligentiam præparacionem quandam ac per gradus ascensionem, in quam, quæ vivat et expertus sit intellecturus, animus humanus natura magistra inducatur atque incurrat. Fert enim natura humana, — quod, quoniam ex psychologicis cognitum esse debet, hoc loco breviter & summatim attingere sufficiet, — ut ex oscillatione quadam eorum, quæ ad vitam proxime, cum iis, quæ ad cognitionem proxime referenda sint, elementorum, ex ejusmodi, inquam, oscillatione,

---

Pauli verba: ἐν μέροις γὰρ γινώσκομεν, καὶ ἐν μέροις προφητεύομεν.

una simul, simul innumeris vicibus recurrente, consistat & constituatur tum universæ vitæ nostræ tum singulorum in ea momentorum decursus. Ex his autem elementis primum locum occupat **sensus** (Fölelse, Fornemmelse), in quo vel ipsa vita, quum non nisi potentia tenus, ut philosophi loquuntur, adsit, ad existentiæ veritatem (ubi actu ab iisdem adesse dicitur) excitatur, vel singula ejus momenta delitescentia quodammodo provocantur et eliciuntur. Sensus sequitur, in quo cognoscendi, ut ita dicam, germina pullulare et eminere, vivendi vicissim cessare et recedere videntur, **conceptus**, qui, sicuti cum sensu arctissimo vinculo connectitur, ut ab eo vix possit nonnunquam satis accurate distinguiri ac separari, ita ultro ad tertium nos vel ducit vel trahit vel rapit, in quo vita præcipue dominatur, cognitione aut serviat aut recedat, oscillationis illius elementum, **propositum** dico voluntatis effectumque propositi. Inde autem quarto loco reditus fit ad cognitionem, mancam eatenus & imperfectam, ex vitæ copia perficiendam et a conceptu variisque ejus sursum tendentis gradibus ad notionis fastigium evehendam<sup>1</sup>). Quæ quum ita sint, non est difficile intellectu, quomodo fiat, ut

<sup>1)</sup> Cfr. Grundtvigs Danne-Virke II pag. 35 sqq.  
III pag. 252 sq.

vel de iis cognoscere possimus, quæ nondum fuerimus experti, h. e., ut de iis conceptibus, quorum in altero principium fuerit sensus, alter, licet ipse omnino idem nondum senserit, tamen, propter naturæ communionem et sentiendi in quovis sensu identitatem, accipiat et quadantenus percipiat<sup>1)</sup>; vel cogitando & dicendo, imo vero etiam docendo tractare possimus ea, quæ vivendo attigerimus quidem, sed nondum omnino & ex omni parte amplexi nostra fecerimus; — qui fiat denique, ut, quotquot ultra, quam quo vita perventum sit, tendere perseverent, ii in meris conceptibus aut in aliquo cognitionis, quod infra notionem positum sit, gradu necessario debeant subsistere, sin secus fecerint, pro veris notionibus subtilitatum inanum amplectantur ac venditent fumos. Quomodo autem, quæ de mutua cognitionem inter & vitam relatione et ea, per quam cum hac illa simul perficiatur, oscillatione dedimus exposita, — ea igitur quomodo faciant ad explicandum, quam ob causam, licet negandum nobis fuerit, posse ad theologiam, plenam & consummatam, nisi per vitæ Christianæ perfectionem, ullo pacto perveniri, iidem tamen

<sup>1)</sup> Haud pauca hue pertinentia uberioris tractata invenies apud Grundtvig Om historisk Vidskab eller om Krönikens Begreb (Danne-Virke I pag. 218-243).

non dico concedere sed inculcare debeamus, ex unaquaque vitæ et ecclesiæ Christianæ conditione theologiæ illius veræ præparationes quasdam & posse oriri & debere, neminem esse arbitramur, quin nobis tacentibus ipse videat. Neque vero magis nobis videtur, his rite perpensis, difficile esse intellectu, quid sit, quod, quotquot ultra, quam quatenus vita perventum esset, cognitione tendere non destiterint, ii, licet revera vana fuerint eorum conamina, nihilo tamen minus & sibi & aliis persuadere potuerint, promotam esse eo pacto et promovendam scientiam. Nihil quippe facilius erat factu, quam ut falsi simul et fallen tes, arreptis vel sacri codicis vel veterum docto rum verbis, quarum rerum conceptus quadantenus suos fecissent, earum sibi viderentur tenere notio nes, quibus rebus autem ab illo errore revocari potuissent, obscuritate nimirum et difficultatibus in doctrina ipsorum residentibus, earum in mate ria substrata, non in cognoscendi negligentia & tenuitate quærerent causas. Quæ quum ita sint, a quæstione, quam non licuit intactam relinquere, psychologica nunc erit in iter, unde parumper de clinavimus, redeundum.

## § 5.

Maneat igitur, nisi Babelis turrem ædificare

et confusionem linguarum in theologia & philosophia obtinentem pro virili augere velimus, non esse nobis sperandum, fore, ut intelligentia vera et genuina ulterius perveniat, quam quatenus vita sit per ventum (Gen. 2, 9. 16. 17. 1 Cor. 8, 1-3), neque igitur, quo tempore vita Christiana adeo sit infirma & debilis, ut nunc esse videamus, plena & consummata properanda nobis esse theologiæ systemata, ante auctores, ut fieri assolet, interitura, ac multo magis eo esse operam impendendam, ut ad unum illud unice verum & plenum, quod ex plena religionis manifestatione oriri debeat, theologiæ sistema præparandum nonnihil conferamus, quod sit mansurum (1 Cor. 3, 10-16). Eo autem quomodo sit perveniendum, non erit ex iis, quæ supra exposuimus, adeo difficile intellectu.

Religio nimirum Christiana quum sit, ut supra monstravimus, vita Christi in credentibus et credentium in Christo<sup>1)</sup>), præcipiat autem sacra scriptura, ut, missis eorum ambagibus, qui censemant, oportere nos aut in coelum adscendere, unde

<sup>1)</sup>) Cfr. Joh. Calvini Commentarius in epistolam ad Galatas 4, 19 (ed. A. Tholuck 1834): "Porro Christum in nobis formari, & nos in Christo, idem est: nascimur enim, ut simus novæ in ipso creaturæ, & ipse vicissim nascitur in nobis, ut vivamus ejus vitam"

Christum deducamus, aut in abyssum descendere,  
unde Christum reducamus (Rom. 10, 6. 7), valere  
jussis, si qui aut in deserto ascetarum aut in cu-  
biculis doctorum eum esse dicant (Matth. 24, 26),  
meminerimus, non literarum jugo nos esse subjec-  
tos, sed Domino, qui sit Spiritus, Novo Foedere  
conunctos (2 Cor. 3, 2. 3. 6. 8. 17): quid tan-  
dem restat, nisi ut eo, quo tendit & ecclesiæ vox  
& sacrae scripturæ auctoritas, eo, inquam, conver-  
sis oculis, agnoscamus, sicuti promiserit, ita reve-  
ra semper cum suis Dominum fuisse (Matth. 28,  
20. 18, 20) et fundamentum fuisse semel positum  
nunquam convellendum (1 Cor. 3, 11) tum fidei  
tum ecclesiæ in verbo suo vivo (1 Pet. 1, 23-25).  
Id est autem verbum fidei, quod prædicamus et  
confitemur (Rom. 10, 8. 9), verbum baptismi, quo  
regeneramur (Joh. 3, 5. Tit. 3, 5. Jac. 1, 18. 1  
Pet. 1, 23), verbum in sacra coena sonans, quo  
communio efficitur corporis et sanguinis Domini  
(1 Cor. 10, 16. 11, 23-29). Et in illo quidem  
verbo Dominum, quum sit æterni Patris æternum  
Verbum (Joh. 1, 1), voluisse et velle suis adesse,  
quis est, qui miretur? Quis est, qui alio modo  
inter adventum primum & secundum adfuisse cre-  
dat eum, qui non magis quam Pater habitat in  
templis manu fabricatis (Act. 17, 24 coll. Joh. 4,  
21. 24. 2 Cor. 3, 17), in libris igitur et literis non

magis quam in basilicis et sacellis? Quis est, qui non intelligat, quod Deus, & Pater & Filius (Joh. 14, 23), habitare dicatur in cordibus mortalium (Jes. 57, 15), id fieri per verbum fidei, cui corde credamus ad justitiam, quod ore profiteamur ad salutem (Rom. 10, 8-10)? Quis est tandem, qui non sentiat, quas hic celebramus, auctoritatem sacræ scripturæ secuti, verbi sacramentorum & verbi fidei laudes, eas ad verum verbum pertinere, ore prolatum, auribus accipiendum (Rom. 10, 14. Gal. 3, 2. 5), ad ejusdem autem umbram literis consignatam, sacram dico scripturam, non debere, quum ipsa nihil ejusmodi de se prædicet, accommodari<sup>1)</sup>?

---

<sup>1)</sup>) Darum habe ich immer also gelehret, dass zum ersten vor allen dingen das mündliche wort müsse da seyn, und mit den ohren gefasset werden, wo der heilige Geist ins hertz kommen soll, welcher mit und durch das wort das hertz erleuchtet und den glauben würket. Luther Auslegung des Evangelium am 19ten S. n. Trin. (XIV pag. 350); idem, citante Steiger in libro, qui inscribitur Der erste Brief Petri ausgelegt (1832) pag. 197: Das Wort ist eine ewige, göttliche Kraft (Röm. 1, 16). Denn wiewohl die Stimme (vox) oder Rede verschwindet, so bleibt doch der Kern, d. i. der Verstand, die Wahrheit, so in die Stimme verfasset wird. Als, wenn ich einen Becher an den Mund setze, in welchen der Wein gefasset ist, so trinke ich den Wein hinein, wiewohl ich

Quæ quum ita sint, concludimus, sicuti religio nostra essentialiter sit verbi divini vivificantis, sive vitæ, quæ insit in verbo Dei, (religionis objectivæ), cum ea, quæ inde nascatur in cordibus mortalium, (religione subjectiva), inseparabilis quædam conjunctio atque unitas, ita theologiæ, ut quæ sit de religione scientia, nullum aliud subesse fundatum, quam eandem illam unitatem, verbum igitur vitæ in sacramentis sonans, mortalibus per fidem inhabitans<sup>1)</sup>). Inde autem sequitur, consimili er-

den Becher nicht mit in den Hals stosse. Also ist auch das Wort, das die Stimme bringet: es fällt ins Herz und wird lebendig, so doch die Stimme heraußen bleibt und vergehet. Darum ist es wohl eine göttliche Kraft, ja Gott ist es selber. Denn also spricht er zu Mose, 2 Mos. 4, 12: Ich will in deinem Munde seyn. Und Ps. 81, 11. — Quæ num de verbo, quod vocant, scripto dicturus fuisset Lutherus, valde dubito.

- <sup>1)</sup> Illam unitatem quoniam hac quidem aetate plerumque religionis nomine simpliciter posito designari non ignoramus, eundem loquendi usum et ipsi, ne obscura fieret oratio, nonnunquam secutus sumus. Ceterum, quum non possimus facere, quin cum Schleiermachero ethnicismi suspectam habeamus eam appellationem, sit autem manifestum, πίστιν ab apostolis non solum subinde vel præcipue de veritate divina (Act. 6, 7. Rom. 12, 6. Eph. 4, 5), vel præcipue de obedientia animi ad eam confugientis eique inhærentis intelligi (Matth.

rore in contrarias partes abripi & eos, qui fidem Christianam objective sumtam, etiamsi cordibus nostris sit alienissima, sufficiens esse judicent theologiæ vere Christianæ fundamentum, & eos, quibus, missa religione objectiva, neglecto verbo fidei et sacramentorum, aut in sensu quodam interno aut in rationis judicio religionis Christianæ vis et essentia, theologiæ igitur fundamentum videatur esse ponendum.

Hæc autem de fundamento theologiæ sententia nostra quomodo alia quoque ratione commendetur, paucis liceat indicare. Verbum quippe sacramenta constituens si posset unquam per universum terrarum orbem obmutescere, vita igitur inde oriunda in universo humano genere omnino evanescere, quis est, quin videat, inanem tum futuram & futilem omnem de ea, hoc est, de religione Christiana inter mortales doctrinam, et revera periisse, quam perituram negavit Dominus (Matth.

8, 10. Luc. 17, 5. Rom. 12, 3); verum etiam de arctissima earum conjunctione, quam vitam esse fidei in fidelibus, fidelium in fide merito dixeris (Act 15, 9. Rom. 3, 22. 26. 27. 31, 4, 14. 9, 30. Gal. 2, 16. 20, 3, 8. 2 Pet. 1, 1. 1 Joh. 5, 4. coll. v. 5): nemo mirari debet, si ex eadem significationis varietate, ex orationis nexu accuratius definienda, a nobis adhiberi deprehenderit fidei vocabulum.

16, 18), ecclesiam? Eadem vita si in nobis neconcepta quidem fuerit, quanam tandem ratione poterimus, etiamsi quis objective veram apertis verbis nobis tradiderit de ea doctrinam, eam doctrinam revera intelligere aut nostram facere? Neque enim poterit non impleri, quod scriptum est: auribus audietis neque tamen intelligetis, videntes videbitis neque perspicietis (Act. 28, 26. Jes. 6, 9), psychicus etenim homo non capit, quæ sunt Spiritus Dei (1 Cor. 2, 14). Contra, ubi adest ea vita — non potest autem, quamdiu in baptismo renascuntur homines, his in terris omnino interire — ibi, siquidem est, licet magna ex parte lateat, in herba & surculo seges & arbor, in infante recens nato plenus homo, nihil videtur esse impedimento, quominus, data opera et adhibitis, de quibus mox sermo erit, adjumentis, quatenus vita, eattenus cognitione quoque perveniatur, quæ cognitio et ipsa ea, quæ omnino sunt necessaria & cardinalia, explicata & expedita, cetera pleraque partim implicite aut minus aperte contineat, partim requirat et, nulla ex parte præcisa, undique porro tendens, cum vita simul, quæ est ei subjecta materies, crescat atque augescat.

Non esse autem, quando ad vitam, quam diximus, tanquam ad unicum veræ theologiae fundamentum, homines ablegemus, metuendum nobis, ne subjectivo, quod vocant, singulorum judicio ac sen-

sui nimium spatii tribuentes, fanaticis erroribus aperiamus viam, satis esse debebit ex iis, quæ disseruimus, manifestum. Etenim, quæ pauca sunt et a multis parvi habentur, in sacramentis sonantia verba, quibus partim, inito certis conditionibus eum Deo triuno foedere, ei consecramur, partim, invocato Patre nostro, qui est in coelis, memoriam celebramus ejus, qui pro nobis mori sustinuit, — ea, inquam, verba, ut vinctat sapientiam humanam stultitia divina (1 Cor. 1, 25), murum adamantium objiciunt fanaticorum hominum commentis et objective certam præbent tum fidei tum cognitio-  
nis regulam, unde depelli inviti nequeamus, non possimus autem scientes ac volentes discedere nisi ita, ut testimonio apostolico - ecclesiastico nostros conatus improbari neverimus.

### § 6.

Diximus de fundamento theologiæ; in eo autem quomodo exsurgere debeat, quibusve adjumentis sublevatum, theologiæ ædificium, nunc erit monstrandum.

Duo sunt modi, per quos ad plenam & perfectam earum rerum, quibus homogeneous aliquid vivamus — alias autem non posse a nobis revera intelligi, supra monuimus — ad eam igitur cognitionem, sive ad veram, sed discursivam intelligenti-

tiam, tendat ratio humana. Eorum modorum alter historicus est, qui rem, de qua quæritur, agentem ac patientem, a primis inde initiis per varios casus sese evolventem, inter secunda & adversa naturam suam undecunque manifestantem, considerando sequitur; alterum philosophicum merito vocaveris, utpote qui, rationem in omnibus requiriens ad ejusque judicium omnia revocans, phænomena a noumenis, speciem ab essentia discernere laboret, et, in eo, quod, quantumvis varium adspectum præbeat, mutationis tamen expers manet, defixis oculis, unitatem in multitudine, identitatem in varietate agnoscere conetur, ex qua singula sint explicanda. Quarum cognoscendi rationum licet is prima specie videatur esse ordo, ut, quam historiam vocavimus, uno veluti vestigio sit prior, non poterit tamen quemquam in hanc rem paullo diligentius insipientem facile latere, revera neutram earum ita esse altera priorem, ut ab ea omnino sejuneta ac separata ullo pacto subsistere aut vigeret possit, quippe quum neque historice rei alienus decursum persequi valeamus, nisi duce aliqua, quamvis sit obscura, de ea re notionis in conceptu præparatione, neque aut conceptum aut notionem alibi quam in phænomenis deprehendere aut retinere possimus, utraque igitur, alterius veluti complemento indigens, in omni cognoscendi et intelligendi actu cum ea sit copulata. Hic autem

inter utramque earum rationum nexus quamquam adeo est arctus, ut, si pari efficaciæ gradu et, ut ita dicam, eodem jure in quovis cognoscendi momento conspirarent, vix alteram ab altera distinguendi & propria appellatione insigniendi orta esset occasio: non est tamen — quippe quum ea res securus se habeat, neque facile ulla sint cognoscendi initia, in quibus non alterutra satis aperte priores partes agat, altera famuletur — impedimento, quominus, quod vulgo obtainere constat omnium eorum, quæ a mortalibus cognoscuntur, in historica & philosophica dividendi et vocabulo, genere, tractatione distinguendi ac separandi institutum, id, donec in genuina intelligentia æquato jure coaluerint, veritate sua non destitui agnoscamus, eandem autem in singulis scientiis recurrere intelligamus dichotomiam. Quæ quum ita sint, sequitur, ut in vero ac perfecto theologiae sistente preparando ejusque hac vel illa particula quadantenus concinnanda eadem duplicitas, eadem utriusque cognoscendi rationis, donec vera intelligentia efflorescat, separata tractatio, eadem utriusque ad eam intelligentiam nitentis conspiratio debeat obtainere.

Erunt igitur, si eo, quo dixi, operam impendere voluerimus, partim colligenda et, quoad ejus fieri poterit, illustranda non solum prophetarum & apostolorum de verbo, in quo vita sit (Joh. 1,

4), a mundo inde condito cum filiis Adami conversante (Prov. 8, 31. Joh. 1, 5. 9. 10), tandem in carne manifestato (Ioh. 1, 14. 1 Tim. 3, 16), testimonia, verum etiam, quotquot nobis relictæ fuerint de ejusdem verbi vita, in ecclesia per seculorum decursum vigente (Matth. 28, 20. 18, 20. Eph. 1, 23. Col. 3, 11. Rom 8, 9), aliorum hominum relationes. Quæ omnia ut historicæ studii theologici parti assignemus, cogit rei ipsius natura. Quod autem theoreticæ, ut vulgo loquuntur, reapse vero universæ theologiæ<sup>1)</sup> ab ipsis inde initiis trichotomiam aliquam vulgo inducunt, et exegeticam atque historicam, ut loquuntur, ejus partes cum ea, quam systematicam vocant, eodem gradu componunt, sunt vero etiam, qui ad illam exegeticorum & historicorum oppositionem tantum non omnia referri velle videantur: id vix quisquam, opinor, probabit, qui necessariam in dividendo *angībelū* sectari voluerit, quippe quum & illam

<sup>1)</sup> Quam enim practicam theologiæ partem vulgo appellant, eam revera ad theologiam, h. e., ut supra monstravimus, ad scientiam de religione Christiana non pertinere, satis quidem manifestum est, licet plerisque theologiæ studiosis, utpote qui aliquando verbi divini ministri sint futuri fideiique inter fideles & infideles præcones, non utilis solum sit cognitu verum prope necessaria; cfr. G. I. Planck Einleitung in die theologische Wissenschaften, 2ter Theil pag. 593. 598 sqq.

exegeseos a theologia historica distinctionem nihil aliud esse appareat, nisi inferioris gradus divisionem (en Underafdeling) eius, quæ revera historica appellari debeat, theologiæ<sup>1)</sup> , et in ea ipsa distinctione constituenda, qui eam tuentur, parum accurate videantur esse versati. Si enim fundamen-tum divisionis esse voluerunt, quod inter scripta sacra, h. e., quibus major humanâ esset auctoritas, in quibus igitur (ut ipsis quidem videbatur) unicus scaturiret & fidei & theologiæ fons, et ea, quæ essent mere humana, obtineret discrimen: merito quæri posse videtur, quid tandem exegeti-cæ theologiæ vel cum apocryphis, qui vocantur, vel cum iis Novi Testamenti libris negotii sit, quos aut apostolicos esse non constet, aut constet non esse apostolicos. Sin vero, quæ paucis qui-busdam ex recentioribus theologis placuisse vide-tur sententia<sup>2)</sup> , ita distinctionem institui volunt,

<sup>1)</sup> Cfr. Rosenkranz Encyclopædie der theologischen Wissenschaften pag. 103.

<sup>2)</sup> Videtur saltem eo nos delatura, siquidem sibi con-stiterit, eorum sententia, qui theologiæ Christianæ duas tantum partes constituant, quarum altera sit de religione Christiana doctrina, contineat autem ea, quæ ad theologiam & exegeticam & systematicam vulgo referuntur, altera sit de ecclesia doc-trina, complectatur autem historiam ecclesiasticam ceterasque disciplinas ei subjectas. Ita Danz, Encyclopædie und Methodologie, Einleitung § 11.

ut ecclesiæ Christianæ origo terminum constituat, ad quam exegetica dominetur, a quo incipiat historicæ theologia: erunt igitur, cujus rei ne in mentem quidem venisse videtur ejus opinionis fautoribus, & epistolæ apostolorum & acta historicæ theologiæ assignanda. Qui autem, quantis utraque earum sententiarum prematur difficultatibus, intellexisse videntur, eos tamen satis accurate ac solide distinxisse, non invenio<sup>1)</sup>. Atque hæc non eo disserimus, quod negare velimus, aut fuisse quemquam, quod ignorari a nobis fatemur, a quo sit satis accurate constitutum, quomodo exegetica differat theologia ab historia ecclesiastica, aut fieri posse, quod e contrario fore speramus, ut vera inveniatur hanc ab illa, tanquam alterum ab altero unius scientiæ, theologiæ nimirum historicæ, membrum, distinguendi ratio: illud tantum cautum volumus, ne præ ea, quæ inferioris gradus est, distinctione oblivioni tradatur summa ac principalis universæ

I2. 13. 17. 18, eoque citante E c k e r m a n n Theologische Beyträge II, 2, 3 sqq., Röhr Kritische Predigerbibliothek II, 10 sqq.

<sup>1)</sup> Rosenkranz Encyclopædie pag. 103. — Optime ex iis, quos consulere licuit, Hagenbach in hac quæstione versatus est neque tamen omnes difficultates expedivit, vid. Encyclopædie und Methodologie der theologischen Wissenschaften pag. 121. 187.

scientiæ nostræ in historicum & philosophicum genus divisio. Ad eam igitur ut revertamur ejusque in theologia Christiana construenda momentum, hæc est sententiæ nostræ summa. Ut revelationis divinæ formas earumque in humanum genus vim atque efficaciam ex sacra scriptura aliisque omnium temporum de ea re monumentis historice cognoscere oportet eos, qui sint theologiæ vere Christianæ eruendæ et in lucem proferendæ studiosi; ita statuimus, debere ex altera parte cum hoc studio arc-tissima necessitudine conjunctam esse philosophicam earundem rerum tractationem, quæ in singulis revelationis divinæ gradibus, in singulis ecclesiæ periodis ac formis, in singulis pietatis Christianæ elementis unitatem ejus, quæ in his omnibus vigeat, vitæ agnoscat, quiequid alieni ei adhæserit, id ab ea distingue et ita ad veram, quoad ejus fieri possit, divinæ, ad veram humanæ naturæ, ad veram ac plenam fidei, spei & caritatis Christianæ cognitionem tendere perseveret. Hinc porro oriri eam, quam alii systematicam, alii speculativam appellare maluerint, theologici studii partem, neminem esse arbitramur, qui non videat. Quibus tamen nominibus præferenda videtur, pro qua militant, quæ de duplicitate in omni cognoscendi actu obvia supra disputavimus, philosophicæ theologiæ appellatio, præsertim quum systematis nomen, si æquivoce et minus ac-

curate adhibetur, historicæ non minus quam philosophicæ theologiæ parti tribuendum sit, sin vero sensu strictiore intelligitur, aliud quid et præstantius longe, nobis quidem judicibus, significet, quam quod de alterutra scientiæ nostræ parte per se spectata merito queat prædicari. Quæ sententia ne cui forte mira, imo erronea & falsa esse videatur, liceat monere, primum, saltem non omnino deesse (cujus rei & in universo evangelio Johanneo & in oratione Stephani, Act. 7, 2-50, ut alia taceamus, manifesta habemus exempla) historicas rerum gestarum expositiones, quæ ad veri nominis systema prope eodem gradu accedant, quo multa, quæ nemo ita appellare dubitet, philosophorum systemata, longe igitur istos antecedant notionum hinc illinc excertarum acervos, quibus a vulgo legentium ac scribentium nomen illud nullam aliam, si quid video, ob causam tribuatur, nisi quod, neglecta, quæ facilis erat futura & perspicua, rei, qualem se ipsa considerandam præbebat, descriptione, omnia ad fictam aliquam unitatem revocare, singula autem per species quam per tempora exsequi maluerunt; deinde, in iis cognoscendi generibus, in quibus non antiquitus obtineat mos unam aliquam partem systematis nomine condecorandi, vix quemquam esse futurum, qui non reservatam velit illam appellationem universo generi ex historicis & philo-

sophicis veluti conflato. Quid enim? si quis, ut exemplo utamur, aut gentium septentrioni subiectarum, quotquot communem agnoscant prosapiam, Gothorum, Anglorum, Danorum, Normannorum, Suionum mores ac religiones traditionesque avitas resque per omnia secula domi militiaeque gestas habuerit cognitas nobisque exposuerit, aut, consanguinitate & homogenea natura adjutus, earundem gentium ingenium atque indolem, in præcipuis eorum traditionibus & eventis veluti deprehensa nobis depinxerit, — numquid aut bina nos habere statuemus de vita earum gentium veri nominis systemata, aut prærepto illius narrationibus vocabulo hujus ornabimus philosophemata? Non opinor. Sicut enim fatemur, vix ac ne vix quidem fieri posse, ut aut historiam teneat aliquis earum gentium, quarum naturam & indolem plane ignoret, aut genium, quem vocant, earum cognitum habeat, facta & eventa, in quibus manifestatus fuerit, omnino nesciat, fateimur igitur, utrique cognoscendi modo inesse aliquem ad verum systema, ut ita dicam, nisum (Tendents): ita vix erit quisquam, qui negare sustineat, quamdiu alterutrum ita dominetur momentum, ut inde tanquam a parte potiori nomen sortiri mereatur scientia nostra, tamdiu nondum esse ad verum systema perventum, quippe quod de una re non nisi unum esse possit, in quo non minus arcte debeant philosophica cum historicis

conjungi & coalescere, quam connectuntur in  
 materia subjecta noumena cum phænomenis, es-  
 sentiæ unitas cum modorum ac relationum varie-  
 tate. Quæ quum ita sint, quid est, quod de  
 vita in populo Dei Veteris Novique Testamenti  
 vigente ejusque cognitione aliter se rem habere  
 statuamus et, assignato philosophicis de ejus prin-  
 cipio atque indole, de fide, spe & caritate Chri-  
 stiana quæstionibus systematis nomine, operam eo  
 impendamus, ne possint unquam, quod alioquin sa-  
 tis erat habiturum, ut omnia præclara, difficulta-  
 tis, in unum verum systema cum historicis coale-  
 scere? Nisi forte putamus, vel aliunde intelligi at-  
 que explicari revera posse, quicquid bonorum ope-  
 rum a patre suo mundo exhibuerit et pro iis ma-  
 lorum a mundo passa sit ecclesia (Joh. 10, 32. 1  
 Pet. 4, 15. 16), quam ex vitæ Domini communica-  
 tione atque imitatione; vel alio pacto plene per-  
 spici posse, quid sit humani generis per Christum et  
 in Christo restitutio, quam in rebus per seculorum  
 decursum ab ecclesia et in ecclesia gestis. Cujus-  
 modi utique errores videntur subesse, quoties sy-  
 stematica inducitur theologia, in qua non ita con-  
 juncta sint et conglutinata dogmatica atque ethica  
 cum iis, quæ vel historiam ecclesiæ tangunt vel ad  
 interpretationem sacri codicis pertinent, quemad-  
 modum & in universa ecclesia & in singulis cre-

dentibus fidei simplicitas cum mysteriorum intelligentia, legis divinæ assidua meditatio cum amoris industria, in celebrando Dei nomine & sublevandis fratribus occupata, inexplicabili serie connectuntur.

## § 7.

Quæ hucusque sunt a nobis disputata, eorum hæc est summa. Theologia Christiana, utpote quæ sit scientia de religione Christianorum, non poterit propter eam, quæ scientiam inter & essentiam obtinet, relationem prius perfici, quam hæc eam, quam natura ipsius postulat, maturitatem fuerit assecuta. Christiana autem religio quum sit vita divinitus oriunda, non uni alicui populo aut certis quibusdam hominibus, sed universo humano generi a Christo comparata, a Spiritu Sancto per sacramenta singulis, ut quisque fidem amplexus fuerit, communicanda, non poterit ullo ecclesiæ militantis tempore, sed tum demum ad id, quod ex ipsius natura summum est, pervenisse merito dici, quando ex omnibus populis, tribubus, gentibus & linguis (Apoc. 7, 9), quotquot servari volent, omnes complexa fuerit et ad divinam imaginem denuo finixerit. Quamobrem verum theologiæ Christianæ sistema h. e. scientiæ organismus, vitam, in qua consideranda et describenda versatur, accurate ex-

primens, non doctorum & ingenioserum virorum inventis debebitur, maturitatem rei cogitando prævertentium ideoque nonnunquam nubem pro Junone amplectentium, sed universo fidelium coetui ac potius Spiritui Sancto accepta referetur, cujus donis ornati, cujus ope & efficacia sublevati cuncti sicut in habitaculum Dei spirituale coædificantur (Eph. 2, 20-22), ita omni vera sapientia et cognitione ditantur atque augescunt (1 Cor. 1, 5. Eph. 1, 17. Col. 1, 9). Adscendunt autem ad illum cognitionis plenitudinem atque intelligentiae veritatem ita homines Christiani, ut, licet nova creatura facti sint et magis magisque fiant, viribus igitur ex natura humana per se spectata non oriundis subleventur et provehantur, manente tamen, sed absque peccato, humanitatis & substantia & conditione, non alio itinere eo tendant, quam quod sit sensus ad notionem, ut supra monstratum est, certis gradibus evehendi. In eo autem, quod inde aliquando exire debebit, vero theologiae systemate præparando & sensim elaborando si nos quoque Spiritus Sancti esse voluerimus ministros, qui, qua vita sit in ecclesia aut in aliqua ejus parte perventum, eodem intelligentia & ipsi pervenire & fratres perducere studeamus, probe tenendum erit, non posse tantum, tam beatum munus alio pacto nobis contingere, quam ut fundamentum semel positum, quod est verbum vitae & vita ex verbo, quæ

duo unum efficiunt, revera fundamenti locum obtinere velimus. Huic porro fundamento ita erit ædificium superstruendum, ut, partim in observanda illius vitæ per omnia secula manifestatione, partim in genuina ejus essentia per phænomena magis magisque investiganda atque eruenda occupati, hinc operam demus narrationibus & sacræ scripturæ & eorum, qui postea historiam ecclesiæ continuarunt aut ad eam faciunt illustrandam, hinc, quæ credamus fidei mysteria, ea, et apostolorum usi et ceterorum fidelium institutione, quatenus concedatur, intelligere et de iis philosophari ac dogmatizare conemur; binas autem illas, historiam dico et philosophicam, studii theologici partes semper memoria teneamus mutuo indigere auxilio, debere autem in theologia perfecta aequato jure coalescere.

Ceterum, quoniam non ignoramus, quantopere discedant tantum non omnia, quæ de his rebus disseruimus, ab opinionibus pervulgatis, monuisse haud poenitebit, etiamsi desint ex recentioribus, non deesse tamen omnino ex antiquioribus theologis, quibuscum nobis convenire posse speremus. Qui enim cum Luthero nostro statnunt, oratione, tentatione, meditatione perfici theogum, quorum virorum, nisi egregie fallor, neque parvus est numerus, neque obscura memoria, neque tenuis

auctoritas<sup>1</sup>), eos nihil esse videtur impedimento quominus ad defendendam causam nostram invoce-  
mus. Neque enim id voluerunt viri piissimi signi-  
ficare, ad munus ac dignitatem theologi Christiani,  
de quo unice apud eos sermonem esse appareat,  
sufficere, ut vel assiduis precibus numen ignotum  
(Act. 17, 22. 23) adoret aliquis, vel cum tenta-  
tionibus externis et internis conscientiae judicio  
impellente conflictetur (Rom. 2, 15), vel scrutan-  
do & meditando, quemodmodum angelus infans  
oceanum, summi numinis mysteria exaurire con-  
tetur (Rom. 1, 21. 22); quippe quæ, teste sacra  
scriptura, ethnici quoque faciant aut facere possint.  
Non fuit ea saltem Lutheri sententia, nunquam de  
subjectivo, quod vocant, pietatis Christianæ mo-  
mento ita disserentis, ut objectivi, quod est prin-  
cipale ac palmarium, verbi nimirum divini, oblivi-  
seceretur aut pietatis mere humanæ molimina cum  
fructu spiritus (Gal. 5, 22) commutaret<sup>2</sup>). Immo

<sup>1)</sup> I. F. Buddeus in Isagoge historico-theologica  
ad theologiam universam singulasque ejus partes  
(1727) lib. 1 cap. 3 § 1 sqq., ubi aliorum com-  
plurium huic sententiae adstipulantum recensentur  
auctoritates.

<sup>2)</sup> Auslegung des 119ten Psalm (Oper. tom. IV. p.  
421): Denn es liegt auch warlich am meisten  
daran, dass man Gottes Wort rein habe und gerne  
höre, daraus folget denn wohl und gewaltiglich

vero, dices, quis dubitat, quin & Lutherus & ceteri omnes, quibus illa placuerit sententia, Christiani hominis orationes & tentationes, Christiani hominis de rebus divinis meditationes intellectas voluerint? — Evidem nullus dubito, verum quis est, quæso, qui magis dubitet, quin eodem pacto Christianos fieri illi viri docuerint, quo nos, per fidem quippe & baptismum ecclesiæ? Id autem si concedereris, ut erit necessario concedendum, quis est, quin videat, a parte subjectiva in verbis illis

beten, lehren, trösten, dancken, weissagen, Gott dienen, leiden, und alles, was Gott wohlgefällt und den teufel verdreust. Wo man es aber verachtet und satt wird, da bleibt solches alles nach, und wo es nicht rein gelehret wird, da ist wohl viel, aber eitel falsch und verloren beten, lehren, trösten, dancken, Gott dienen, leiden, weissagen: Denn es ist doch alles dem teufel gedienet, der es also verunreinigt mit seiner ketzerei. — Auslegung des Evangelii am 24ten Sonntag nach Trinitatis (tom. XIV. pag. 406): Fromme leute machen, gehöret dem evangelio nicht zu, sondern es machet nur christen; es ist viel mehr ein christ sein, denn fromm seyn. Es kan einer wol fromm seyn, aber nicht ein christ. Ein christ weiss von seiner frömmigkeit nichts zu sagen, er findet in ihm nichts gutes noch frommes; soll er fromm seyn, so muss er sich nach einer andern und fremden frömmigkeit umsehen.

describi, quam nos ab utraque parte considerare ac describere conati sumus, vitam Christianam (pag. 17. 39) : commemorata igitur vita ex verbo, quæ in ceteris fidelibus non minus quam in apostolis nuntiat inter spiritum in preces promptum & carnem in temptationibus infirmam (Matth. 26, 41), verbum vitae, utpote cuius ad creandum vel homines Christianos vel theologiae doctores nemo in dubium vocasset efficaciam, non tam silentio praeteriri, quam in effectu suo comprehensum, si non proprio nomine at tectius appellari. Quamobrem oratione & temptatione significari nobis videtur, quam nos fundamentum esse volumus theologiae, vita divina in ecclesia singulisque ejus veri nominis membris vigens (pag. 36 - 40), in quo si quis a nobis discesserit, vix poterit fieri, quin impuri mysticismo aut ipse amplectatur errores aut Luthero ceterisque, quos laudavimus, viris adscribat et attribuat, ex quibus parum referat, cuius generis sit vel oratio & contemplatio vel carnis afflictio, modo aut totus sis in iis aut omni nisu eo incumbas. Quod autem meditationem tertiam esse voluerunt viri illi pio animo semper venerandi, id non male quadrare videtur in ea, quæ nos necessaria esse docuimus, theologiae adjumenta, prophetarum nimirum et apostolorum historiæque ecclesiasticae de hac vita testimoniorum accuratam cognitionem & attentam considerationem, quippe quæ revera ver-

uentur in meditando de rebus a Deo ter sancto omnibusque sanctis ejus gestis, a duobus autem illis præcipue, ad quos ceteri omnes referendi sunt, Domino & ecclesia. Quodsi quæsierit aliquis, numquid, quemadmodum nos intelligi velimus illud effatum, ita quoque ab auctoribus & patronis suis intellectum fuisse statuamus: ingenue fatebimur, haudquaquam dubium nobis videri, quin cum in ceteris tum vero in meditationis natura constituenda singuli nonnulla aliter, quam fiat a nobis, intellexerint et interpretati sint — id enim nisi fecissent, quemnam nobis relicturi fuissent tanti viri locum ejus, quam tuemur, doctrinæ ab oblivione vindicandæ? — monebimus autem, aliud esse prophetarum munus, oraculorum suorum sensum nunquam facile omnino persipientium, aliud eorum, qui prophetias interpretentur. Hæc porro opera quoniam nostro potissimum ævo, in senectute generis humani ad generandum tantum non effoeto, tot autem seculorum, tot prophetice dictorum ex asse, ut ita dicam, hæredi, videtur convenire, non erit, opinor, improbandum, quod pro virili cruere et succincte exponere conati sumus, quid illo effato spiritus voluerit significari, quantum inde intellexerint singuli ejus præcones, non magnopere solliciti. Eandem ob causam monuisse haud poenitebit, si quis ex alio quodam Lutheri dicto, quo theologiam grammaticam esse

docuit in literis Spiritus Sancti occupatam, objectionum adversus ea, quæ docuimus, petere voluerit materiam, non metuendum nobis videri, ne quid inde, quod quidem nostræ sententiae sit adversum, efficiatur, modo ne oblivioni tradatur, literas Spiritus Sancti, testibus prophetis & apostolis, vivere & spirare (Jer. 31, 31-34. Hebr. 8, 6-13. 2 Cor. 3, 2. 3 coll. v. 6-11), universarum autem veluti collectionem quandam authenticam esse, quam Paulus apostolus vocet columnam & firmamentum veritatis (1 Tim. 3, 15<sup>1</sup>), unam illam, ad quam semper redeundum, ecclesiam.

## § 8.

Postquam de fundamento atque adjumentis theologiae vere Christianæ in universum, magis pro

<sup>1)</sup> Non dubitamus, quin, quicunque homo Christianus animo a præjudicatis opinionibus libero hunc locum considerare voluerit, antiquorem amplexurus sit cum interpungendi & interpretandi modum, quem propter rationes polemicas cum eo, qui nunc vulgo obtinet, commutasse videntur quidam Protestantium ecclesiarum theologi, quibus tamen hic opposuisse sufficiet auctoritates Calvini (comment. in hunc loc.), Grotii (annotation. in hunc loc.), Sal. Glassii (Philologia sacra, ed. Lips. 1725, pag. 1881 sq.), versionum Vulgatae, Lutheri, Anglicanæ, vernacularum antiquiorum (Christiani Illtii & Vlti) cet.

virium nostrarum tenuitate quam pro rei magnitudine, satis discernimus, nunc eo erit transeundum, ut de alterutra studii theologici parte sola ac per se spectata nonnihil disseramus. Quamquam enim, si minus intelligendo at divinando tamen, quadam tenus assequi nobis videmur, quam fructuosa futura sit ea, in qua exponenda versati sumus, doctrina ad tractandum solidius, quam jamdudum fiat, vel sacri codicis interpretationem vel ecclesiæ Christianæ historiam; quamquam, ut exemplo utamur, cognitum habemus, certam inde regulam derivari posse, qua ecclesia Domini in turba eorum dignoscatur, qui quoque tempore nomen ejus usurpaverint, indidem autem apparere, vera quæ sit fidei regula, cuius ad analogiam sacri codicis verba interpretari debeant Christiani theologi<sup>1)</sup>: in præ-

<sup>1)</sup> Scio equidem, fuisse inter antiquiores & præstantiores ecclesiæ nostræ theologos, qui docerent, ad similitudinem fidei in symbolo apostolico expositæ universam sacram scripturam esse explicandam, verum enim vero non potest non labare illa sententia, quamdiu exorsa, immo detexta prope retexentes adjiciunt, eam vicissim fidei expositionem ex sacra scriptura esse derivatam ac derivandam. Exemplo sint Gerhardi verba (Loc. theol. exeges. über. art. de sc. s. loc. I cap. 25 § 531): "Omnis scripturæ interpretatio debet esse fidei analoga. Proponitur hic canon Rom. 12, 6, cuius sensus est, quod scripturæ interpretatio

sentia tamen omnibus, quæ ad theologiam histori-  
cam solam faciant illustrandam, supersedendum  
esse nobis arbitramur.

Tantum monebimus, quod ad utramque theo-  
logiæ partem pertinens non nihil erit habiturum ad  
illustranda, quæ de theologia philosophica dicturi  
sumus, momenti, sicuti nobis judicibus, non alia sit  
ulla κατ' ἐξαιρετού λόγου scientia (Videnskab), nisi  
quæ vitam aliquam, sed totam, complectatur et ex-  
primat, ita, quamdiu ad illam non sit perventum,  
binas esse debere uniuscujusque vitæ, propter eam,

ea ratione institui ac conformari debeat, ut con-  
sentiat perpetuae sententiæ, quæ de unoquoque  
doctrinæ coelestis capite in scriptura proponitur.  
— Articuli fidei, quos per πιστιν hoc loco aposto-  
lus intelligit, quorum cognitio omnibus ad salu-  
tem neccessaria est, verbis claris & perspicuis in  
scriptura tradantur, quorum summa in symbolo  
apostolico, quod patres regulam fidei saepius vo-  
cant, breviter repetitur. Contra hanc fidei regu-  
lam nihil quicquam in scripturæ interpretatione  
proferendum." Contra, si meminerimus, antiquio-  
rem esse ecclesiam, quam eam, ex qua fidem  
derivatam volunt, s. s. partem, eam autem & a  
Christianis & in usum Christianorum esse scrip-  
tam, non posse igitur aut foederis baptismalis aut  
ipsorum sacramentorum verbis ullo pacto adver-  
sari, præcipuum ac principale tenebimus & veræ  
interpretationis adjumentum & perversarum expli-  
cationum impedimentum atque obstaculum.

quam in præparanda omni vera intelligentia necessario oriri ostendimus, duplicitatem, cognoscendi formas, quibus scientiæ nomen ὀμωνύμων καὶ οἰομένων competit, historicam alteram, alteram philosophicam, quarum principia ita se habeant, ut et ἀρχή, vita nimirum illa, communis sit utriusque et τέλος, illa quippe veri nominis scientia. Earum porro utriusque si quæ minoris ambitus, ut fieri assolet, subesse deprehendantur cognoscendi veluti regiones, eas non scientias sed disciplinas (Videnskabsgrene, Discipliner) appellandas esse censemus, ut quæ, ab illis toto genere diversæ, ab earum alterutra repetere debeant & principium, unde proficiuntur, & finem, quo tendant. Quamobrem statuimus, quemadmodum historicæ theologiæ pars, id quod supra (pag. 45 sqq.) est a nobis indicatum, unâ contineatur scientia, ex qua primo loco duæ oriuntur, exegetica & ecclesiastica historia, proximo autem gradu, quotquot præter eas recenseri solent disciplinæ, critica, hermeneutica, patristica, archæologia & biblica & ecclesiastica, ceteræ; consimili ratione philosophicæ quoque theologiæ unam necessario esse debere scientiam, ex qua deduci, ad quam referri oporteat ceteras hujus partis disciplinas, quæ beat igitur, nisi eam nomine tenuis scientiam, reapse materiæ cognoscendæ rudem indigestamque molem esse voluerimus, aut dogmatices non minus quam earum. quæ ex ea penderet

putantur, disciplinarum continere principia, aut ipsa nihil aliud esse quam theologia dogmatica ad justum ambitum dilatata. Quam sententiam quoniam nudam proposuimus, eo, quo intendimus, festinantes, speramus fore, ut, si quis de ea judicium ferre voluerit, is non adversarii solum sed patroni quoque partes, quam potuerit æquissimo animo, ante suscipiat. Ceterum, quicquid de ea fuerit judicatum, probe tamen tenendum erit, commemorari eam a nobis ad illustranda, quæ in sequentibus tractabimus, non ad probanda, magis esse igitur in ea, hoc quidem loco, perspicuitatis subsidium admittendum quam fundamenti soliditatem requirendam. Quamobrem nihil esse videtur impedimento, quoniam hinc continuo ad theologiam philosophicam accedamus considerandam, qua in re ita versabimur, ut initium fiat a vulgari ejus ambitum constituendi et disciplinas, quæ ad eam pertineant, recensendi modo, unde facillimum futurum confidimus aditum ad nostrum qualemque explicandum de ea judicium.

### § 9.

Erit igitur primo loco constituendum, quot sint et quænam ex vulgari inter earum rerum peritos sententia ad theologiam philosophicam referendæ disciplinæ. Id autem quum nonnihil habi-

turum esse videatur, primo quidem adspectu, difficultatis, objiciat fortasse aliquis, quoniam hic non major appareat quam in ceteris plerisque rebus inter theologos consensus, præterea ponderandas esse manifestum sit, non simpliciter numerandas auctoritates, inde fieri debere, ut, quæ cuique placuerit sententia, eam sibi, tantum non necessario errore abreptus, pro vulgari persuadeat esse habendam, utpote quæ, si minus plerisque, tamen vel doctissimo cuique atque ingeniosissimo probata sit, vel aliquo ejusmodi titulo nitatur. Quod non est ita. Etsi enim fatemur, quas quærimus disciplinas, eas aliter ab aliis recenseri eorum, quia rationem studii theologici sibi sumserint illustrandam<sup>1)</sup>: haud difficulter tamen dubitationem circa inveniendam vulgarem inter theologos sententiam, quatenus opus sit, removeri posse statuimus, dum-

---

<sup>1)</sup> Illius diversitatis ut afferamus exempla. non opus esse videtur. Tantum monebimus, vir. celeb. G. I. Planck in libro, qui inscribitur Einleitung in die theologische Wissenschaften, apologeticam, quam vulgo philosophicis disciplinis annumerari constat,exegeticæ theologiae subjecisse; quippe quod faciat ad monstrandum, quantis circa methodum quoque studii theologici erroribus occasionem prebuerit vulgaris de religione Christianorum ex libris eorum sacris unice hauriendā opinio.

modo memineris, quemadmodum semper alias ita  
hic quoque vivorum, vel potius ipsius vitae, magis  
sequendam esse auctoritatem quam vita carentium,  
et doctorum magis ac discipulorum audiendos esse  
choros, etiamsi non sit accuratissimus sonorum  
concentus, quam singulorum librorum anxie con-  
quirenda et inter se concilianda vel monita vel ef-  
fata. Etenim quicquid placuisse intellexerimus huic  
vel illi, quamvis magnae auctoritatis viro de scien-  
tiae nostrae forma aliquatenus immutanda ejusque  
vel ambitu aliter, quam fieri soleret, constituenda,  
vel partibus nova ratione recensendis & distinguen-  
dis: erit tamen necessario fatendum, vulgari judi-  
cio nihil eorum esse comprobatum, nisi quod, si  
minus per majorem, at per eam tamen ecclesiae  
partem, in qua philosophicae theologiae studium  
præcipue floreat, eo valuerit, ut, quæ desideratae  
essent et commendatae mutationes, eæ, laboribus  
doctorum saltem quadantenus repræsentatae, cum  
in libros eorum tum vero in academicam pervene-  
rint institutionem ibique, hoc quidem tempore, do-  
minentur. Quam normam, licet ejus ope non om-  
nem omnino dubitandi ansam et vel levissimam am-  
biguitatis umbram præcidi ac tolli ultro largiamur,  
relative tamen, ut loquuntur philosophi, et pro re-  
nata sufficere debere arbitramur. Ad eam autem  
si respexeris, deprehendes, modo tres esse ex vul-

gari inter peritos homines sententia theologiæ philosophicæ partes, dogmaticam dico, ethicam, apologeticam. Quam enim a theologis inter nos tristes, quemadmodum inter Batavos, doceri video naturalem theologiam, eam sicuti manifestum est, quamvis sit theologiæ studiosis utilis cognitu, philosophiæ tamen, non Christianæ theologiæ & esse & habitam esse atque haberi partem<sup>1)</sup>, ita recentiore memoria a Germanis, qui sunt in iis, quæ architectonicen scientiarum spectant, omnium accuratissimi, mutato nomine tanquam aliquam de rebus religiosis philosophiam induci constat<sup>2)</sup>. Quæ autem olim seorsim tradi

<sup>1)</sup> Buddei Isagoge lib. 1 cap. 4 § 30; I. L. v. Mosheim Kurze Anweisung die Gottesgelahrtheit zu erlernen (1756), Haupst. 1 § 5; Planck Einleitung in die theologische Wissenschaften, zweiter Abschnitt Kap. 9; Mynster Om Begrebet af den christelige Dogmatik §. 32-34.

<sup>2)</sup> Verum esse putamus de hac disciplina judicium d. v. Hagenbach, Encyclopædie § 24: Unter Religionsphilosophie verstehen wir übrigens nicht das zunächst, was man sonst auch wohl theologia rationalis nannte, ein Abhandeln der sogenannten natürlichen Religion oder der articuli mixti (Metaphysik über Gott, Unsterblichkeit u. s. w.), auch nicht jene mehr der Naturseite zugewandte ontologische Erörterung des Absoluten und speculative Bestimmung des Verhältnisses Gottes zur Welt (wiewohl dergleichen, vom rich-

solutæ sunt disciplinæ, polemica & casuistica, earum alteram partim apologeticæ de loco concessisse partim theologiae dogmaticæ assignatam esse, alteram ab ethica Christiana vulgo non sejungi, verbo satis erit monuisse. Symbolica denique & ea, quam alii theologiam, alii dogmaticam biblicam vocant, disciplina etsi ad philosophicam scientiæ nostræ partem ita accedere videntur, ut naturam earum ex nomine præcipue estimanti dubium esse possit, utro sint referendæ tamen, sicut a plerisque, qui nostra memoria illam quæstionem tetigerunt, historicæ potissimum esse judicant<sup>1)</sup> , ita nondum sunt a quoquam, quod

tigen Standpunkte aus unternommen, auch mit dazu gehört); sondern vor allem ein anthropologisches Eingehen auf die religiöse Menschennatur und ihre Bedürfnisse, begleitet von der Religionsgeschichte oder der geschichtlichen Würdigung der in der Erscheinung vorkommenden Entwickelungs- und Offenbarungsformen des religiösen Bewusstseins. Miramur autem, non com-memorari, ita quoque mixtorum articulorum futuram hanc disciplinam, et, quæ in ea philosophice tractentur, ea in anthropologicis præcipue dogmaticæ locis theologie tractari debere cfr. Münster Om Begrebet Dogmatik § 34, & quæ infra ea de re dicemus.

<sup>1)</sup> Cfr. de theologia symbolica Ständlin Lehrbuch der Encyclopædie Methodologie und Ge-

sciam, ea ratione exultæ et traditæ, ut & philosophicum dominaretur, historicum serviret elementum, & maneret tamen inter earum utramque et eam, quam vulgo dogmaticam vocant, aliquod veri nominis discriminem. Quamobrem concludimus, ex vulgari sententia, qualis inter antiquatas veterum & immaturas aut nondum probatas recentiorum opiniones extiterit et per eam ecclesiæ Christianæ partem, cuius summa esse debeat circa ejusmodi quæstiones auctoritas, sensim invaluerit, theologiæ philosophicæ eas tribuendas esse, quas diximus, disciplinas neque ullam præterea. Illa porro sententia utrum vera sit neene, non aliter aut posse aut debere constitui, quam ipsa re diligenter per-

---

schichte der theologischen Wissenschaften (1821), pag. 145; Hagenbach Encyclopædie § 70. 71; Bretschneider Handbuch der Dogmatik der evangelisch-lutherischen Kirche § 5; Marheinecke Christliche Symbolik (1810), Einleitung pag. 3. 27 sq. 34, cet. — de dogmatica biblica Hagenbach §. 58; Danz § 40; Rosenkranz Encyclopædie § 65; Mynster Om Begrebet Dogmatik § 41. Quibus nominibus non dubitamus addere v. d. Schleiermacher. Quamquam enim dogmatica quoque ipsa ab eo historicæ esse judicatur disciplina, alio tamen sensu et, nisi fallimur, ad communem loquendi usum proprius accedente illarum utramque pro historica habendam esse docet, Darstellung d. theolog. Studiums § 249. 250.

pensa et acri judicio examinata, novimus quidem et meminimus: iidem vero statuimus, ex iis, quæ ipsius scientiæ potius quam eruditorum quorundam suffragatione commendari videantur, & facillimum & verissimum repeti quærendi principium. Ejusmodi enim auctoritas quamquam non præbet fundamentum solidum et inconcussum, suppeditare tamen videtur quandam, ut ita dicam, contignationem, ad quam nostra erigantur, donec, absolutis singulis atque inter se connexis, illo adjumento non diutius indigeant. Quamobrem ex eo principio profecti id saltem, opinor, consequemur, ut, si quæ forte novanda esse docuerimus, neque ignorasse merito censemur neque ignorari voluisse, quænam sit et quanti habenda vulgaris ea de re doctrina, sin vero nonnihil ex ea intellexerimus esse retinendum, non perdamus in probandis, de quibus tantum non omnes consentiant, oleum & operam. Neque enim id aut egimus hactenus aut nunc agimus, ut universam aut de theologia aut de philosophico, quod vocavimus, ejus genere doctrinam explicemus, verum ut, quæ eo facere videantur nonnulla, jaceant autem partim oblivione obruta partim erroribus obscurata, ea in lucem denuo prolatæ pro virili tueamur.

Quibus rebus constitutis, ita ad reliqua pergemus, ut primum de dogmatica agamus eique disquisitioni intexamus locum de una illa scientia, ex

qua singularum hoc pertinentium disciplinarum principia, nobis judicibus, petenda esse supra ostendimus, quam vero a recentioribus plerisque aut præ dogmatica negligi aut cum ea confundi ac commutari videmus; deinde de ethica Christiana, postremo autem loco de apologetica breviter & succinete dicamus.

§ 10.

Theologiae dogmaticæ nomen medio fere seculo decimo septimo adhiberi coeptum, ineunte demum seculo decimo octavo vulgo admissum et usu receptum fuisse constat<sup>1)</sup>. Verum cum nova appellatione simul, si non novam ortam esse, at diu intermissam denuo revocatam esse disciplinam aut disciplinæ speciem & umbram, quæ res multo majoris est quam illa nominis mutatio momenti, tantum abest, ut a quoquam eorum, qui de hujusmodi quæstionibus egerunt, quod sciām, disertis verbis commemoretur, ut non sit nisi perraro obiter et obscure a quibusdam, tantum non nolentibus aut nesciis, significatum. Qnod tamen revera ita se habet. Quum enim iisdem fere temporibus,

---

<sup>1)</sup> Cfr. Hahn Lehrbuch des christlichen Glaubens §. 10 Anm. 1; Bretschneider Handbuch der Dogmatik § 5.

quibus appellationem illam natam esse et vulgarem evasisse diximus, receptum sit quoque a theologis ecclesiæ nostræ institutum, inter theologos Romanenses & Reformatos jamdudum obtinens, ethicam Christianam separatim tractandi et propria disciplina comprehendendi<sup>1)</sup>: inde factum est, ut, qui pro Summis & Locis theologicis Dogmaticas tradarent institutiones, ii, quæcunque vel ad legis iugum vel ad novam obedientiam unice pertinere viderentur, tantum non omnia ethicæ Christianæ relinquerent tractanda, deficerent autem ita ab eo inde tempore in ecclesia nostra ejusmodi theologiae expositiones, in quibus ethica cum dogmaticis conjuncta in unum doctrinæ corpus coalescerent, ut novi aliquid non sine periculo ausurus sibi videretur is, qui nostra memoria eam conjunctionem veluti postliminio revocare conatus est et ita revocavit, ut nihilo minus utramque disciplinam separatim tractandi morem simul retineri vellet<sup>2)</sup>). Quamobrem necesse est fateamur, in prosapia theologiae dogmaticæ, quam vulgo ad Melanchthonem & Chemnitium, ad Thomam Aquinatem & Petrum Lombardum non magis dubitant referre, quam ad Jo-

<sup>1)</sup> Cfr. Buddei Isagoge lib. 2 cap. 4 § 6. 7; de Wettes Lærebog i den christelige Sædelære (1835), § 165. 183. 188.

<sup>2)</sup> Nitzsch System der christlichen Lehre, Vorrede.

Iannem Damascenum et Origenem<sup>1</sup>), in ea igitur duas confundi ac commutari diversi ambitus rerum theologicarum enarrationes, quarum altera cognitionem de fide ita tradat, ut, quæ sit ejus in voluntatem humanam moresque fidelium efficacia, simul exhibeat descriptum, — cuius generis esse apparet & Enchiridion Augustini & Sententias Magistri, Summam Thomæ, Locos Melanchthonis, Chemnitii, Gerhardi, Institutionem Calvini cet., — altera cognitionem de fidei mysteriis, a commemoratione conversationis vere Christianæ sejunctam, solam sibi sumat considerandam, — quo pertinent ex antiquis Originis de principiis et Johannis Damasceni de fide orthodoxa libri, ex nostra ecclesia, quotquot post Pfaffium et Buddeum theologiae dogmaticæ prodierunt expositiones. Earum porro alteram ab altera ita differre, ut, quoniam jure id fieret, quærendum saltem fuisse videatur, vix quisquam ibit inficias. Id autem tantum abest ut factum sit, ut, dum multi vel querunt vel exponunt, quibus de causis a ceteris locis theologicis eorum, qui mores spectarent, complexus quidam separatim trae-

---

<sup>1</sup>) Buddei Isagoge lib. 2 cap. 1 § 6-15; de Wette Dogmatik der evangelisch-lutherischen Kirche (1816), § 14-18; Hahn Lehrbuch d. chr. Glaubens §. 18; Twesten Vorlesungen über die Dogmatik (1834), § 14-18, cet.

tari et propria disciplina tradi coeptus sit, illa, quam diximus, quæstio non solum satis accurate instituta non sit, verum ne disertis quidem verbis, quod sciam, a quoquam proposita. Objiciat fortasse aliquis, quoniam fateamur, & quæsitum esse & monstratum, quid esset, quod seorsim tractari vel posset vel deberet doctrina morum, inde non posse non elucere rationem sufficientem, quapropter & ex dogmatica theologia ethica omnia omnino fuerint eliminanda, & ea tamen disciplina non pro alia sit habenda quam illa ex dogmaticis atque ethicis conflata, ecclesiæ reformatoribus eorumque discipulis non minus quam scholasticis doctoribus probata et exculta. Verum non est ita. Aliud est enim, locos ethicos nonnunquam quidem separatim exponi, quoties autem de dogmaticis agatur, ibi quoque commemorari et eodem, quo cetera, tenore explicari, quem morem medio ævo obtinuisse nemo ignorat; aliud, ita disjungi utriusque generis locos, ut non magis in theologia dogmatica ethici tangantur aut excutiantur, quam in theologia morali dogmatici, qua ratione per centum et quod excurrit annos in nostra ecclesia theologiam philosophicam divisam ac prope disceptam fuisse constat: potest igitur fieri, ut hanc ratio, nem improbet, qui illum morem retinendum esse statuat. Quamobrem, quæ historicum rei decursum non strictim ac negligenter, sed attento animo et

vigilantibus oculis, ut ita dicam, observanti quærenda esse deprehenduntur, ea, re ipsa considerata, ita ad finem perducere conabimur, ut despiciamus, utrum ex ipsa studii theologici natura et ratione deduci possint & summisticæ illius doctrinæ (ita enim brevitatis ergo appellabimus, quam in libris Lombardi, Thomæ, Melanchthonis, Calvini cet. repræsentari, variis autem appellationibus insigniri supra docuimus) & dogmaticæ & moralis genuinæ sibique constantes notiones, an dogmaticæ tantum et moralis theologiae, an vero, quam nobis arridere fatemur opinionem, notiones tantum summisticæ illius theologiae atque ethices Christianæ eo pacto queant vindicari.

### § 11.

Ac doctrinæ quidem illius ex dogmaticis atque ethicis conflatae quænam sit vera et genuina, ex ipsa studii theologici natura deducta aut deducenda notio, non est adeo difficile inventu. Etenim, comparatis inter se celeberrimis, in quibus traditur illa doctrina, scriptis, si non tam, quid singulis doctoribus vel adjiciendum vel omittendum sit visum, quam, quæ sint cunctis communia, quæsiverimus, ac magis attenderimus, quo universi, nescii nonnunquam, tetenderint, quam quo sua quisque studia pertinere putaverit: vix quemquam fallet, opinor, nihil aliud esse polarem illam stel-

Iam, cuius præluciente splendore cursus eorum dirigatur, certe dirigi dicatur, nisi fidem Christianorum, nihil aliud esse finem cursus instituti, nisi explicitam ejusdem cognitionem atque expositionem, in qua igitur, quum non ad speculationem, quam vocant, magis quam ad praxin tendat fidei natura, non prætereatur ejus in voluntatem humana et totam fidelium conversationem efficacia, sed tanquam unica via, per quam a fidei simplicitate ad intelligentiae subtilitatem perveniri posse piissimus quisque et ingeniosissimus viderit aut senserit, suo loco commemorata illustretur. Quam obrem cognitionis, quæ non alterutrum, quod insit in vita fidei, elementum, sed utrumque complexa ad plenam ejus intelligentiam tendat ac provehatur, ejusmodi igitur cognitionis expositionem aliquam merito judicandam esse statueris theologiam summisticam. Quamquam autem fatemur, in ea, quam hic exhibuimus, ejus descriptione & desiderari aliquid, quod faciat ad notionem accurate et solide constituendam, & contineri vicissim nonnulla, quæ partim cum ea, quam supra expositam dedimus, studii theologici ratione pugnare videantur, partim cum vulgata de ambitu et partibus theologiae philosophicæ sententia non possint omnino conciliari: tantum tamen abest, ut propterea ab ea recedendum esse in animum inducamus, ut inter removendas ac solvendas, quas oriri diximus

difficultates eo perveniri posse statuamus, ubi, pro incerta ejus atque instabili imagine et veluti tremula umbra, quemadmodum ex stirpe surculus aliquis, ita ex universa theologia vera ejus notio proveniat atque efflorescat.

Primo igitur loco objiciat aliquis, siquidem talis sit, qualis hic describatur a nobis, doctrina summistica, non tam partem eam existimandam esse universæ nedum philosophicæ theologie, quam omnium eorum, quæ in scientia de religione Christiana veniant tractanda, aut plenam expositionem aut certe hypotyposin aliquam. Quid enim, inquiet, reliquum fiet, quod ad theologiam Christianam revera pertineat, quando, a fidei simplicitate profectus, & pulchram fidelium conversationem & cognitionis inde nascentis complexum oblitteratæ illi doctrinæ assignaveris? Neque enim ad interpretationem sacri codicis et historiam ecclesiasticam provocabis, opinor, quæ præter vitam fidei in ecclesia Veteris et Novi Testamenti manifestatam nihil aliud merito dicentur continere, nisi vocabulorum Hebraicorum et Græcorum acervum, et episcoporum, confessorum, persecutorum, hæreticorum nomina, successus, casus; ea autem omnia, si per se spectentur, ad studiosos linguarum et historiae politicæ ac literariae potius quam ad theologos pertinere, nemo est, quis videat. — Quæ objectio sicut magnam præ se fert veritatis speciem, ita ea continet, quæ partim non solum

ultra largiamur, sed etiam argumentis parati simus probare, partim, quando paulo accuratius enuntiata fuerint, nostra facere non dubitemus; nihil autem, quod revera aut iis, quae hactenus exposuimus et posthac exponemus, aduersetur, aut eo valeat, ut, quae ex illa descriptione deduci posse videatur doctrinæ alicujus theologicæ notio, ea non & sibi constet & universi studii theologici naturæ consentiat. Quod enim theologiæ philosophicæ pars esse negatur hæc doctrina, id tantum abest ut refutatum velimus, ut, qua vix ac ne vix quidem supersederi posse supra innuimus totius theologiæ philosophicæ ad artis formam redactæ expositione (pag. 62), eam hac doctrina contineri statuamus, quamdiu autem hæc jacuerit neglecta, nihil aliud fuisse persuasum habeamus theologiæ systematicæ, speculativæ, philosophicæ nomine significatum, nisi rerum magis minusve eo pertinentium parum concoctam farraginem, ex qua non suo loco orirentur singulæ disciplinæ, sed pro arbitrio doctorum create et constitutæ, tanquam ex re deserta ac derelicta, quantum enique placuisset, tantum arcesserent materiæ. Id autem quo jure statuamus, non prius elucere posse manifestum est, quam in lucem prolata fuerit et vindicata, in qua eruenda occupamur, doctrinæ summisticæ notio; quo pacto autem conciliari queat cum sententia vulgari, ex qua non dogmatica solum et ethica, sed etiam apo-

logetica ad theologiam philosophicam referri debe-  
re supra ostendimus (pag. 66), et ita conciliari,  
ut non tam falsa ea sententia esse monstretur,  
quam vel minus accurate expressa vel omissis, quæ  
non erant omittenda, ex aliqua parte manca: id  
tum demum commode videbimus, quando de apo-  
logeticis seorsim erit agendum. Porro, quod  
eiusdem ac universa theologia ambitus futura esse  
fortasse ab aliquo judicabitur hæc doctrina, id, si  
de summa ejus perfectione intellectum fuerit, quam-  
vis mirum primo quidem adspectu videri possit,  
ultra largiemur, eo autem valere defendemus, ut  
notio doctrinæ summisticæ eadem sit ac ipsius  
philosophicæ theologiæ notio, vera sit igitur con-  
sentiensque cum universa studii theologici ratione.  
Speramus autem, fore, ut, si quis ea, quæ sunt a  
nobis supra (pag. 44 sqq.) disputata et exposita de  
instituenda studii theologici divisione et de utra-  
que, quæ inde oriatur, ejus studii parte, acri per-  
penderit judicio, is haud ægre ad nostram se pa-  
tiatur adduci sententiam. Neque enim ita distin-  
ximus historicam theologiæ partem ab ea, quam  
philosophicam vocavimus, ut huic aliam, aliam illi  
subjectam esse docuerimus materiam, — quam qui-  
dem utrique communem statuimus nihil esse aliud,  
nisi ipsam religionem Christianam sive fidei vitam,  
— verum ea de causa alteram ab altera separan-  
dam esse ostendimus, quod pro duplicitate quadam

in omni humana cognitione obvia non posset fieri, quin, donec ad plenam et perfectam intelligentiam perveniretur, in qua philosophica cum historicis inseparabiliter connexae in unum scientiae organismum coalescerent<sup>1)</sup>), aut philosophica ita dominaretur aut philosophica rei considerandæ, cognoscendæ, tractandæ ratio, ut ex earum altera et ipsa studia tanquam ex parte potiori nomen sortirentur et, quæ ex iis nasci deberent, binæ illius scientiæ præ-

<sup>1)</sup> Cfratur Marheinecke Christliche Symbolik, Einleitung pag. 32: Die Trennung zwischen speculativer und historischer Erkenntniss ist, die Wahrheit zu sagen, doch ziemlich äusserlich schon und untergeordnet; an sich sind beide aus dem innern Wesen der Theologie selbst abflossen als lebendiges theologisches Wissen, dessen innere Einheit keine äusserliche Verschiedenheit unterbrechen und aufheben kann. Diese so aus dem Innern in zwey Strömen sich ergieissende theologische Erkenntniss mag denn immer und unschädlich so in der äussern Trennung bestehen, denn die Trennung selbst ist wiederum in der Natur des Verhältnisses mannigfaltiger Erkenntnisse gegründet. Schelling Vorlesungen über die Methode des academischen Studium (1803): Was von Geschichte überhaupt gilt, muss insbesondere von der Religion gelten, nämlich dass sie in einer ewigen Nothwendigkeit ge gründet und also eine Construction derselben möglich sey, wodurch sie mit der Wissenschaft der Religion innigst Eins und verbunden wird.

parationes. Quæ quum ita sint, quis est, qui minetur, non solum posse, verum etiam debere fieri, ut earum alterutra tum deum merito ad metam pervenisse et perfecta esse judicari queat, quando, cum altera mystico, ut ita dicam, connubio juncta, non amplius quietis impatiens porro tendat, sed in eo, abjecta illa propriae existentiæ specie, conquiescat.

Verum hic alia quædam succrescere videtur difficultas. Quamquam enim supra satis, ut nobis quidem videtur, perspicue dedimus expositum, qualis esset quibusque rebus niteretur nostra de philosophicis cum historicis ad unitatem perfectionis alicujus scientiæ revocandis sententia: non dubitamus tamen, fore, ut eam quadantenus veram esse multi judicent, ceterum non fieri posse statuant, quin nonnulla tamen residua maneant vel historica elementa, quæ non possint ullo pacto philosophice, vel philosophica, quæ non possint historice simul tractata in unitate cognitionis ac scientiæ illius vere theologice conjungi ac coalescere. Ii porro, quando eam sententiam strictiore sensu a nobis intelligi cognoverint, concedent fortasse, philosophicam, quæ ex fide oriatur, rerum diviarum atque humanarum cognitionem esse ejusmodi, cuius singula, ut ita dicam, momenta, suis locis in eventis revelationis divinæ et ecclesiæ Christianæ manifestata et efficacia, ad earum historiam illustrandam

facere queant; neque enim facile nimis multa sibi arrogare videbitur, quæcunque doctrina philosophiæ nomen præ se tulerit, magnæ illius nostri quidem seculi Diana (Act. 19, 28. 34 sq.), quæ, missa jam de coelesti origine fabula, dum ex capitibus humanis subinde se nasci gloriatur, quicquid in ceteris scientiis inventum est ac prolatum, id sibi totum si non re et actu vindicat, at cupiditate et vociferatione<sup>1)</sup>). Ex historicis autem quando, nobis judicibus, nihil esse audierint, quod non ad plenam rerum religiosarum intelligentiam veluti symbolam conferre debeat, et in consummatam illam theologiam tanquam elementum necessarium adsumi, non ferent, opinor, tantam exilis istius historiæ confidentiam. Quid enim, inquiet, quis est, qui sibi persuaderi patiatur, quo nomine salutatus fuerit aut episcopus aliquis aut hæreticus, quo die natus, quo anno ætatis suæ mortuus sit, qua gente oriundus, qua lingua usus fuerit, earum quæstionum & similium bene multarum nexum aliquem deprehendi posse ac conjunctionem cum ip-

<sup>1)</sup> Istius deæ quænam sit et qualis ecclesia, in quam suam ac naturam manifestet, vide sis apud I. G. Hamann, An das Publicum, oder Niemand den Kundbaren, in libro, qui inscribitur Socratische Denkwürdigkeiten.

sa doctrinæ Christianæ expositione, unde fiat, ut et in ea illustranda nonnihil sint habituræ momenti et ab ea vicissim, aut ab aliquo ejus capite lucis nonnihil accepturæ, quando in una illa scientia conjungantur, quam theologicam vocas, historicophilosophicam esse doces. Quibus non deest quod respondeamus. Primum enim, quum mutuam obtinere negaverint inter historicam et philosophicam theologiam relationem, ex qua hæc illam omnino comprehendere et ab ea vicissim comprehendi queat, non solum, quæ supra docuimus de eorum diversitate ex natura cognitionis humanæ nascente, ita convellere debebunt, ut vera ejus diversitatis causa in rebus utriusque scientiæ subjectis latere monstretur, quarum aliæ non possint historice, aliæ philosophice spectari aut tractari; verum etiam, id ubi nobis persuaserint, — id autem quotus quisque erit, qui quamvis serio affirmantibus, imo tantum non demonstrantibus credat? — id igitur quum probaverint, fateri cogentur, non pro una scientia theologiam esse habendam, sed pro conjunctione quadam duarum scientiarum, quæ sit mere subjectiva, inde nimirum orta, quod eorundem hominum utraque soleat esse, quæ gradu igitur, non specie differat ab ea, qua v. c. naturalis philosophiæ principia mathematica cum cognitione theologiæ & vere Christianæ & scholasticæ in celeberrimo quodam seculi decimi septimi ho-

mine connexa fuisse constat. Id autem ne cui  
persuadeant, non nimis verendum esse videtur.  
Deinde vero, licet fateamur, nondum eo esse per-  
ventum, ut omnium vel levissimorum eventorum,  
quæ occurrunt in historia revelationum divinarum  
et ecclesiæ Christianæ, rationem reddere, aut, quo  
pacto cohærent cum doctrina Christiana, monstrare  
possimus: erit tamen probe tenendum, partim id  
non posse jure meritoque a nobis exigi, quippe  
qui nusquam docuerimus, veram illam ac perfec-  
tam theologiam jam existere, immo operam dandam  
esse monuerimus, ut ad eam præparandam aliquid  
conferre contingat; partim non omnino deesse no-  
bis talium rerum exempla, quæ prima quidem spe-  
cie mere historicæ esse videantur, reapse autem  
ad solvendas quasdam philosophicæ theologiae quæ-  
stiones adeo sint non utiles solum verum etiam ne-  
cessariæ, ut non possint non cum ipsa earum so-  
lutione simul in eam, ad quam tendimus, veræ theo-  
logiaæ unitatem adsumi et velut intexi. Constat  
enim, ut unum saltem afferamus exemplum, fuisse,  
qui ecclesiæ Christianæ sacræque scripturæ de re-  
generatione, de exuendo vetere homine novoque,  
qui Dei imaginem portet, induendo doctrinam ita  
interpretarentur, ut, quiequid in aliquo homine vel  
individuum ingenii atque animi indolem vel pecu-  
liarem gentis, e qua oriundus esset, naturam pro-

deret, id omne omnino in homine regenerato de-  
letum evanescere deberet; quorum sententiae, ut  
taceamus, quantopere eam adjuvare videri possit  
ipsa novi hominis, novae creaturæ appellatio, ali  
quoque nonnulli videri poterunt suffragari, si per  
se spectati fuerint, dogmatici sacræ scripturæ lo-  
ci<sup>1)</sup>. At vero, historiam quum consulimus et v. c.  
Paulum apostolum eodem fervidissimi animi ardo-  
re, quo ante conversionem ultra Judææ terminos  
persecutionem extenderat fidelium (Act. 8, 1. 3.  
9, 1. 2), postea per universum pæne orbem evan-  
gelii prædicationem festinantem, studiumque et la-  
borem non Illyrico aut Roma sed Hispania et oce-  
ano terminantem videmus (Rom. 1, 13-15. 15, 17-  
24); eundem vero, quo patriæ religionis gentisque  
amore abreptus cædem apostatis meditatus erat,  
eo, postquam asseverare potuit, non suam se vitam  
vivere (Gal. 2, 20), ita permotum conspicimus, ut  
pro iis devoveri velit (Rom. 9, 3. 4); quum Au-  
gustinum, antequam ex aqua et spiritu denuo  
nasceretur, philosophicum divinarum et humana-  
rum rerum sistema meditantem deprehendimus,  
postea autem in idem opus ita incumbentem, ut  
quod Christianæ theologiae sistema quatuordecim  
secula in singulis quibusdam rebus emendarunt,

---

<sup>1)</sup> Cfr. Gal 3, 28. Col. 3. II.

totum convellere non valuerunt, ejus et fundamen-  
ta posuerit et, pæne dixi, perfecerit ædificium;  
quum, qua tempestate vacillaret fides in plerisque,  
frigeret caritas, eadem pro superstitione habitum  
esse meminimus, quicquid patriæ gentis terræque  
amorem spiraret: quis est tandem, qui non videat,  
commentariorum instar, immo supra omnes doctorum  
virorum in locos de regeneratione commentarios  
esse ejusmodi historiæ testimonia, et, quæ prima  
specie mere historicæ viderentur non magni mo-  
menti narrationes de fanaticismo pharisaico Pauli,  
philosophico Augustini, cosmopolitico Nicolaitarum  
seculi decimi octavi, eas revera nonnihil habere  
in vero theologiae systemate præparando et ador-  
nando momenti. — Sint ista, dixerit fortasse ali-  
quis, verum quid est tandem impedimento, quo mi-  
nus ejusmodi eventorum vim et efficaciam in usum  
systematis illius convertamus, ipsa autem eventa  
inde areeamus? — Nihil sane, præterquam quod  
nec fuit unquam nec erit is homo, qui ex evento  
aliquo ita, empusæ instar, vim vitalem exsugere  
alioque transferre possit, ut ipsum factum tanquam  
cadaver putredini relinquere liceat, in quo nec ip-  
se posthac nec alii quicquam intelligibile invenire  
queant. Quamobrem tantum abest, ut ex eventis  
historicis semel succum exprimere, cetera abjicere  
possimus, ut, quo melius intelligantur, eo majoris  
momenti futura esse manifestum sit, quo fiant ma-

joris momenti, eo minus in ipso systemate prætermitti posse. Et hæc quidem hactenus.

Ceterum, remotis jam, quibus ea, quam supra proposuimus, theologiæ summisticæ descriptio premi videbatur, difficultatibus et ita remotis, ut inter objectiones arcendas et refellendas simul ve-  
riora sint de ejus natura exposita, speramus fore, ut, quisquis ea inter se accurate contulerit, con-  
cedat nobis, eam neque falsi quicquam continere et  
ita perfici atque ad notionis ἀντιβειαν, quoad ejus  
fieri possit, adduci debere, ut theologiam summi-  
sticam philosophicam esse dicamus de fide  
ejusque vita, tanquam uberrimo & cognitionis cir-  
ca res divinas atque humanas & virtutis ac sancti-  
tatis fonte et origine, doctrinam, quæ, quum phi-  
losophicam theologiæ partem universam vel com-  
pleteat vel complectatur, et eo nomine cum theolo-  
gia historica pari passu incedens ad veram tendat  
cum ea conjunctionem, non debeat aut scientiæ  
appellatione indigna judicari aut, quemadmodum  
per centum et quod excurrit annos factum esse  
monstravimus, diutius inulta jacere. Neque enim  
est dubium, quin, si earum rerum, quæ vulgo theo-  
logiæ philosophicæ assignantur, pertinent autem  
ad quæstiones dogmaticas, ethicas, partim vero  
etiam apologeticas, unam aliquam exstitisse per  
aliquot secula monstravimus scientiam, cuius notio  
& sibi constet & cum universa studii theologici

ratione conspiret ac consentiat, ea non debeat negligi, neque committi, ut singulæ theologiæ philosophicæ disciplinæ non nexus aliquo reali, sed sola appellatione conjunctæ esse et unum efficere videantur. Jam vero quum ad philosophicum cognoscendi genus pertinere viderimus, ut in mutabilibus manentia, in varietate unitatem, in singulis manifestationibus id, quod sese manifestet, quærat, investiget atque amplectatur: opus erit, ut primum, quænam sit ea in theologia summistica unitas, deinde, quo modo ad eam revocari possint singulæ illius partes, quæramus et, quam brevissime fieri possit, exponamus.

## § 12.

Habemus ipsum Dominum in Evangelio Johanneo (17, 3) testantem, eam esse æternam vitam, ut cognoscamus Patrem solum verum Deum et, quem ille miserit, Jesum Christum. Cujus loci sensum sicuti non satis assecuti esse videntur ii theologi, qui, dum eorum, qui sint in fide Christianorum fundamentales, articulorum complexum, fidei igitur regulam, dogmaticæ autem theologiæ principium, ex gravissimis maximeque perspicuis, ut ipsis quidem videtur, sacræ scripturæ effatis deducere conantur, eum complexum, id principium

his verbis statuerunt inesse<sup>1)</sup>; neque enim est veri simile, aut primarium aliquem fidei articulum, nedum universum fidei complexum in cognitione, eaque tanti ambitus, esse ponendam, aut negligentia quadam sermonis inter se commutata esse illo potissimum loco, quæ solent accuratissime distingui, cognoscendi et credendi verba (*γνῶσειν* & *πιστεύειν*): ita melius fortasse expedire continget, si primum quidem attenderimus, Dominum in loco nostro de vita æterna sensu, quem vocant, absunto disserere, deinde vero alia quædam consuluerimus ipsius et apostolorum effata, quibus doce- mur, neque ullam esse Patris nisi in Filio cognitionem (Matth. 11, 27. Joh. 1, 18. 12, 45. 14, 9), et ita esse in Filio vitam æternam, ut ipsum vitam appellare liceat (Joh. 1, 4. 14, 6. 1 Joh. 5, 11), et mansura esse, quum cetera omnia deciderint, non sejuncta sed ita unum efficientia, ut alterutrum satis sit commemorasse, amorem et epignosin (1 Cor. 13, 8-13, collatis, ubi alterutrum momentum solum commemoratur, nostro loco & [1 Tim. 2, 4?] 1 Joh. 4, 16). Quæ quum ita sint, concludimus, secundum doctrinam Christia-

<sup>1)</sup> Ammon Summa theologiae Christianæ § 25, citante Hahn in libro, qui inscribitur Lehrbuch d. chr. Glaubens, § 16 Anm. 1; P. Er. Müller System i den christelige Dogmatik § 83

nam, illo loco breviter propositam, ceteris varie illustratam, esse aliquam, in quam non desinat sed absolvatur vita Christianis divinitus impertita, realem simul et intuitivam Dei cognitionem, sive caritatem perfecto modo, h. e. vivendo simul et videndo, & sui & objecti sui sibi conscientiam (eodem enim redire, utrum dixeris, et monstrant loci a nobis allegati, et facile concedet, quisquis, quid sit realis præcipue cognitio, attente consideraverit); cuius apex veluti aut centrum, ad quod, ut fert cognitionis natura, contracta, a quo vicissim, id quod est caritatis, diffusa ac dilatata, Ens entium comprehensa comprehendat (1 Cor. 13, 12), nusquam sit alibi nisi in Deo Filio (Matth. 11, 27). Ad realem autem illam et intuitivam Dei cognitionem et epignosin quamquam non directe, ut loquuntur, tendere concedimus aut historicam aut philosophicam theologiae partem, quippe quæ ad intelligentiam veram sed discursivam, summam illam quidem, quæ his in terris mortalibus contingere queat, sed quæ sit ea, quam diximus, cognitione non gradu verum specie inferior, proxime tendant: non videtur tamen fieri posse, quin, sicuti historicum cognoscendi genus, dum ad singula extenditur nec minima temnit, amorem veluti præfiguret, philosophicum contra per unitatem notio-  
 nis ad unitatem intuitionis quodammodo adspiret, ita in philosophica studii theologici parte, h. e.,

ut supra diximus, in theologia summistica, nullum aliud unitatis, quo omnia revocentur, obtinere debat, nisi idem illud, quo realem cognitionem contineri diximus, centrum, quod sit in persona Iesu Christi.

Hæc autem sententia alia quoque comprobatur ratione. Si enim verum est, theologiam summisticam esse ejusmodi, qualem diximus, scientiam, continere igitur aliquam ex fide oriundam de rebus divinis & humanis cognitionem: quid est tandem, in quo illæ res concurrere et unum efficere queant, nisi *Deus ἡγεμόνας* ille, Dei hominisque filius (Rom. 1, 3. 4), in quem credimus? Quamquam enim non est dubium, quin, quicquid existit, id omne in Deo visum consideretur, frustra tamen ad eam visionis unitatem a Malebranchio aliisque mysticis præcipue scriptoribus ablegabimur, nisi accesserit, in quo solo contingit hæc visio, mediator; quippe quum in Deo directe & immediate non perspiciatur quicquam nisi a Deo (Joh. 1, 18. 1 Cor. 2, 10. 11. 1 Tim. 6, 16). In hominibus autem primum quidem humana tantum, deinde ne ea quidem omnia deprehensa spectari posse a nobis manifestum est, nisi aut omnes, nemine excepto, penitus noverimus, aut unum aliquem invenerimus, in quo vera et genuina humanitas, non ex parte neque mutatis mutandis, sed tota et intemerata exhibeat, cui igitur tanquam ipsi naturæ humanæ, non abstractæ,

ut loquuntur philosophi, sed reali inhærere debent mortales (Mennesket i udmæret Betydning, der urbildliche Mensch). Eum porro hominem quum et ex fide ecclesiæ, attento et pio animo perpensa, et ex scriptis apostolicis appareat esse illum ipsum virginis Mariæ filium, qui, quamquam passus sit et mortuus, ad dextram tamen Altissimi enectus, gloriam ejus ac majestatem participet (1 Cor. 15, 22. 45-49 cfr. Dan. 7, 13. Matth. 26, 64 cet.); eundem vero tanquam unigenitum Dei filium, splendorem gloriæ et expressam substantiæ ejus imaginem, in quo solo Deus, natura invisibilis, videndum se præbeat creaturæ, veneretur ecclesia, celebrent Novi Testamenti libri (Matth. 11, 27. Joh. 1, 18. 12, 45. 14, 9. Col. 1, 15. Hebr. 1, 3): quis est tandem, qui dubitet, aut nullam esse veram & realem theologiæ summisticæ unitatem, aut eam esse in persona Jesu Christi, in qua perfecta humanitas cum adæquata divinæ substantiæ divina imagine coaluerit, ponendam? — Tu igitur, dicet hic fortasse aliquis, quoniam notione quidem teneri debet, quicquid theologiæ summisticæ constituet unitatem, & ipse statuis & nobis vis persuadere, fieri posse, ut θεόνθρωπον illum notione comprehendant mortales? — Evidem non video, esse quicquam, quod prohibeat, quo minus aut statuam fieri posse, aut credam fore, ut, quatenus amore complexi fuerimus Dominum ac Servatorem

nostrum, eatenus intelligendo quoque et notionem  
eum comprehendamus. Quod si tu fieri posse ne-  
gaveris, nihil est, cur tibi blandiaris de philoso-  
phica theologiae Christianae parte et per eam ipsa  
theologia Christiana, si non his in terris perfici-  
enda, at sensim ad veram perfectionem propius  
adducenda, nisi forte aut, quomodo mare pugillo  
metiamur docueris, coelos spithama (Jes. 40, 12),  
— id enim revera parat, quisquis res humanas aliter  
quam in homine, ipsum autem hominem et res  
divinas aliter quam in Deo manifesto, Dei occulti  
imagine perspicere conatur, — aut aliquam protu-  
leris faciliorem ad comprehendendum notionem, in  
qua divina cum humana coaluerit natura, ad quam  
igitur revocari queat omnis, qui ad theologiam  
Christianam pertineat, rerum divinarum ad huma-  
nas, humanarum ad divinas relatarum complexus.  
Ceterum, nimis imperfecte & amari a fidelibus Do-  
minum & eam ipsam ob causam cognosci, haud-  
quaquam insitiabimus, monebimus autem, nobis ju-  
dicibus, ut est supra expositum (pag. 20. 53), theologiam  
vere Christianam non unius esse seculi aut  
unius ecclesiæ, nedum unius hominis opus, sed  
universæ catholicæ per omnia secula ecclesiæ, in  
qua & amor & cognitio Domini, quatenus manen-  
te hujus vitæ conditione ac natura fieri possit, re-  
vera perficiatur (cfr. Eph. 4, 13 - 16).

## § 13.

His ita constitutis, si quæritur, quanam tandem ratione, quæ uno aliquo aut paucis quibusdam theologiæ dogmaticæ, ut vulgo traditur, locis contineri videtur de Domino nostro doctrina, ad eam ita omnes revocari possint theologiæ summisticæ partes, ut non specie sed reapse & ex ea pendere intelligantur singulæ & ad eam tendere: facile quidem apparet, si vestigiis vulgi insistere voluerimus, id omnino non posse contingere. Eo enim modo, ut monstrant satis multi dogmatici libri, nihil efficitur aliud, nisi ut, separato munere Domini ab iis, quæ magis etiam proprie ad personam ejus pertinere judicantur, separata porro divina ejus natura ab humana, inter consideranda minute singula Ipsius unitas tantum non obliteretur, saltem ita obscuretur, ut non possint ad eum locum cetera dogmatics, nedum summisticæ theologiæ capita revocari. Verum alia reliqua est, nisi egregie fallor, qua ea difficultas tollatur, universam theologiam summisticam disponendi ac tractandi ratio, quam etiam illud commendat, quod apostolicæ amplectitur et imitatur doctrinæ typum, verbis in epistola prima Johannea plene propositum (1 Joh. 5, 6-11), in aliis quibusdam Novi Testamenti locis aliquatenus adumbratum, re et actu ab universis comprobatum, dum duo tantum tradunt ecclesiæ sa-

cramenta, unam autem eandemque, qua in Spiritu uti assuescat, fidem perfecte confitendi et Patrem in nomine Jesu adorandi rationem, orationem dico Dominicam et symbolum apostolicum. Neque enim quicquam esse video impedimento, quo minus, qualis Dominus partim & in mundum venerit & ad singulos *συζητήσας* veniat, cum aqua nimirum et sanguine, cum baptismo regenerationis et cum calice benedictionis (loc. cit., coll. Joh. 3, 5. 6, 53. 19, 34. 35), partim, in singulis fidelibus universo-que eorum coetu natus et crescens, ex eorum ore sibi laudem paret et per spiritum in singulis suffragetur veluti ei, quod universæ ecclesiæ concreditum est, immo in quo ecclesiæ Spiritus concessus est, testimonio (loc. cit. & Gal. 2, 20. 4, 19. Col. 1, 27 coll. Rom. 8, 14-16. 1 Joh. 4, 13), tam eum describere conemur; quod si fecerimus, vix ullum futurum esse arbitror, qui ad theologiam summisticam revera pertineat locum, ad quem non sponte deducatur oratio et commemorandum et, quoad ejus fieri possit, absolvendum. Id porro quomodo fieri possit ac debeat, brevi rerum graviorum enarratione ostendemus.

Incipiendum igitur statuimus ab homine ad baptismum accidente, a quo quum omnium primum exigatur, ut abrenuntiet diabolo, fidem autem amplectatur in Deum Patrem omnipotentem, coeli terræque creatorem, sequitur,

ita esse procedendum, ut primo loco quæratur, quænam sit hominis naturalis sibi relictæ de Deo ejusque voluntate, de sua porro, si ad eam normam revocata fuerit, sentiendi et agendi ratione cognitio, monstretur autem, eam esse ejusmodi, quæ & ad agnoscendam numinis majestatem legisque divinæ sanctitatem sufficiat (Act. 14, 15-17. 17, 23-29. Rom. 1, 19. 20. 2, 14. 15), & ad deprehendendam hominis in mala omnia proclivitatem, ad bona tarditatem (Act. 17, 30. 31. Rom. 1, 21-32), non sufficiat autem ad frangendum jugum, quo prematur, peccati & mortis, invitet igitur, ut corum malorum a Deo, impium justificante, speret medicinam, quando vero annuntietur, nisi, quæ vera sunt, ea *avtonatūnptos* negligere malit (Joh. 3, 18-21), grato animo accipiat, quem autem tantæ salutis adversarium fuisse audiat, peccati miseriæque generi humano auctorem, ei, Dei omnipotens fretus ope, æternum bellum indicat. His porro adjungenda esse patet, quæ de eadem re, in ipsis foederis baptismalis initiosis breviter proposita, in sacra scriptura accuratis explicantur, et ita quidem adjungenda esse, ut, in quibus partim hæreat mens humana sibi relieta, partim divinet aliquid aut suspectetur, ea in ecclesia claris verbis tradi appareat; quorum malorum jugo se premisentiat animus humanus, eorum remedia, si non præberi ab ecclesia, id enim experientia demum

docere potest (Joh. 7, 17), at promitti et offerri mortalibus, ostendatur. Ceterum non erit ibi subsistendum. Etenim, quum universæ fidei confessio requiratur ab homine ad baptismum accedente, sit igitur, quemadmodum certissimum, fieri posse, ut singulas ejus partes aliquatenus fide complectatur homo nondum regeneratus, ita veri simillimum, nullam esse fidei partem, quæ non, licet primo quidem adspectu nonnullæ mere historicæ esse videantur, aut desiderio alieni aut quæstioni, in animis mortaliis, si semet ipsos præ strepitu mundano audire valuerint, nascenti, occurrat atque subveniat: sequitur, ut universum symbolum apostolicum per singula eundo illustrari et cum singulis theologiæ naturalis locis, tanquam vel responsio cum quæstione vel remedium et solatium cum desiderio et indigentia, conferri debeat. Erit igitur, ut exemplis utamur, monstrandum, quemadmodum non Israelitæ solum (Exod. 20, 16), sed alii etiam populi mediatorem desiderarint inter fragilitatem humanam et divinam majestatem, recurrat autem apud Romanenses idem desiderium, in pravam partem detortum, in adoratione sanctorum, ita ipsa jam generatione mediatorem eum sisti, qui Dei filius dicatur, natus ex Maria virgine; quemadmodum senserint gentes, si in hac mundi pravitate apparuisset virtus perfecta, fore, ut odio ac malitiæ succumberet, cædem vero speraverint

penes' eam tamen æternam futuram victoriam<sup>1</sup>), ita in cruce et resurrectione Christi conjungi cum mortis, ut videbatur, victoria vitæ triumphum; quemadmodum non solum miser ille dives (Luc. 16, 30), sed omnes mortales velint, reducem aliquem fieri ex morte, qui terrores aut vanos discentiat aut veros prodat, ita eum nobis esse datum, qui in orcum descenderit, a mortis imperio servatorem. Quid sibi velint, quæri oportebit, gentium de stirpe divina mortalium effata (Act. 17, 29), quid circa expianda peccata sanguinis prodiga cura, quid de tristibus umbris corpore destitutis traditiones, quid immortalitatis, sed non animi solius, desiderium<sup>2</sup>); in quibus omnibus quum veritatis agnoverimus vestigia et reliquias, eodemque tendere intellexerimus in optimo quoque & mentis præsagia & vota cordis: tum vero, quomodo occurrat et subveniat indigentiae ac desiderio mortalium fides Christianorum in Spiritum Sanctum, in remissionem peccatorum, in resurrectionem carnis vitamque æternam, solide poterit illustrari. Confessionem porro fidei quum sequatur lavacrum regenerationis (Tit. 3, 5), erit igitur tum attendenus de regeneratione locns, in quo partim, si quæ

<sup>1</sup>) Cfratur nostratum de Baldero occiso sed redivivo mythus.

<sup>2</sup>) Homer Odyss. lib. XI v. 34-50 & 487-490.

**subobscure** viderint pii homines inter gentiles de tanta mortalium depravatione, quæ non tam his illis rebus emendandis atque corrigendis, quam per totalem universi hominis mutationem sananda esse videretur, eorum summa tangatur, partim, quid de ea re doceat & ecclesiæ vox & sacræ scripture consensus, ita explicetur, ut, — evitatis tum eorum erroribus, qui pro generatione ex Spiritu Sancto meram inducunt humani propositi et conversionis umbram, tum eorum, qui novam ita urgenter generationem, ut ejusdem tamen hominis, manente personæ identitate, regenerationem intelligentiam esse non videant, — his igitur evitatis erroribus, vera novæ generationis notio, quantum fieri possit, eruatur et tradatur. Quibus rebus expositis, equidem satis illustratum esse crediderim, quomodo cum aqua venerit et veniat Dominus, ea autem quæstione soluta, primum absolví theologiæ summisticæ sive librum sive caput.

Inde autem si quæsiveris, qua sit ratione pergendum ad cetera, non erit difficilis responsio. Quum enim regeneremur in baptismo, ut non amplius nobis sed Christo vivamus (Rom. 6, 1-12. Gal. 3, 27, coll. Gal. 2, 20. Phil. 3, 9. 10. 1 Pet. 2, 24), sequitur, ut jam sit nobis, siquidem ad ipsius rei decursum descriptionem nostram accommodare velimus, de conversatione Christianorum, in novitate vitæ ambulantium (Rom. 6, 4),

agendum. In qua delineanda non possumus facere, quin primum omnium ad eandem fidei confessionem, sed novo quodam sensu, respiciendum esse statuamus. Quis est enim homo Christianus, qui non videat aut sentiat, quando quis, fidem ecclesiæ non verbis solum verum etiam sincero animo amplexus, ex aqua & spiritu fuerit regeneratus, exinde, quiequid in symbolo ad Christum propriè pertinere videatur, id ad eum quoque ejusque vitam pertinere? Est igitur nobis omnibus, quotquot nos Christi esse confidimus, sicuti Dei Patris nomen non minus de Patre nostro quam de Patre Iesu Christi intelligendum (Joh. 20, 17. Rom. 8, 14-16. 1 Joh. 3, 2), creator autem non horum magis coelorum hujusque terræ cogitandus quam illorum, quæ nova sperare jubemur cum civitate Dei nunquam interitura (2 Pet. 3, 13. Hebr. 11, 10. Apoc. 21, 1-4), ita probe tenendum, veterem nostrum hominem cum Domino pati oportere, crucifigi, mori, sepeliri (Matth. 16, 24. 25. Marc. 10, 38. 39. Rom. 6, 4-6. 8, 17. Gal. 2, 20. 5, 24. 2 Cor. 4, 8-11), novum autem illum, qui sit in nobis conceptus ex Spiritu Sancto, natus ex ecclesia virgine (Jac. 1, 18. Gal. 4, 26-31. 2 Cor. 11, 2)<sup>1)</sup>, etiamsi ad in-

<sup>1)</sup> Cfratur Calvini commentarius in epistolam ad Galatas (4, 26): "Et sane, qui recusat esse ecclesiæ filius, Deum frustra patrem habere expetit; neque enim, nisi per ecclesiæ ministerium, Deus

ferna debeat descendere (Luc. 23, 43, cfr. Act. 2, 31), victorem tamen cum eodem esse resurrectum et in coelestem gloriam, ut cum eo regnet, adscensurum (Rom. 8, 11. 17. 1 Cor. 6, 14. Phil. 3, 10. 11. 2 Tim. 2, 11. 12, coll. Luc. 22, 28-30. 1 Cor. 6, 2. 3), immo vero tantis bonis, quatenus in coelis sit cum thesauro nostro cor nostrum (Matth. 6, 20. 21. Col. 3, 1-4), eateus jam nunc frui æterna coram Deo, qui vocat ea, quæ non sunt, tanquam sint (Rom. 4, 17), prædestinatione (Eph. 2, 5. 6. Rom. 8, 30). Quamobrem secundum scientiæ nostræ caput erit de illo **vitæ curriculo**, in quo per ardua ad astra, vel potius per crucem ad lucem, per vallem fletus et desertum temptationis in terram melle lacteque fluentem ducem suum sequi debeant et fratres jam coronatos milites Christiani (Hebr. 12, 1. 2. 1 Pet. 2, 21. Phil. 1, 27-2, 18). In quo agone quum ea sit omnium sollicitudinum summa, ut tesseram militiæ nostræ, foedus dico baptismale per cordis puritatem, fidei sinceritatem, confessionis constantiam tueamur (Rom. 10, 8. 10. 1 Tim. 1, 18-20. 3, 9. 6, 12. 2 Tim. 4, 7), quod si fecerimus, non possint non provenire ex indole spirituali, tanquam ex solo fertili, maturi pietatis Christianæ in amore

---

sibi filios generat et tollit, donec adolescent et perveniant ad virilem usque ætatem.”

erga Deum hominesque fructus (Luc. 6, 43 sqq., coll. Marc. 7, 21-23 & Act. 15, 9 — Gal. 5, 6. 22): sequitur, ut in eo describendo atque illustrando præcipue illustretur, quomodo & in nobis & ex nobis per Spiritum suum Dominus testimonium proferat de vita æterna (1 Joh. 5, 6-11), quemadmodum scriptum exstat: Spiritus est, qui testificatur, quandoquidem Spiritus est veritas. Ceterum, quum hoc capite contineri debeant ea omnia, quæ vulgo ad ethicam Christianam referuntur, breviter indicare liceat, qua ratione, nobis quidem judicibus, ad veram et, ut ita dicam, vivam unitatem revocatum, philosophice tractari possit carnis, per mortem Christi jam fractæ et dehilitatæ, cum spiritu, per ejusdem Spiritum vivificado (Rom. 8, 1-13), certamen. Instituta enim, quam in capite primo ex parte tangi oportere ostendimus, de lege in cordibus mortalium scripta quæstione, inventum iri statuimus, eam legem nullam esse aliam, nisi ut veritatem agendo exprimamus (öve Sandhed, cfr. Joh. 3, 21 coll. I Joh. 1, 6. Apoc. 21, 27); cui legi quum nemo debitam præstiterit obedientiam, mendacii autem jugo, quod non possit non ad mortem et interitum corporis animique deducere, premi se sentiat, non sine propria culpa, optimus quisque: inde explicandum esse putamus, qui fiat, ut justum veritatis meritumque metuentes judicium vel optimi ac piissimi

mortales, quas in semetipsis non possint non probare sopiti magis quam extincti amoris erga veritatem reliquias, eas tamen non valeant ita sovere ac suscitare, ut in hoc veluti purgatorio igne omnes omnino deliquescent ac diffluant animi sordes. Jam vero quum Dominus noster ac Servator et se esse affirmet veritatem (Joh. 14, 6), et, rejecta in aliud tempus, quæ veritatis non potest non esse, judicium habendi provincia (Joh. 3, 17. 8, 15, coll. 5, 22. 8, 16), hac quidem vice venisse testetur, ut mundum servaret (Joh. 3, 16. 17. Luc. 19, 10), suam autem vocem audituros esse, quotquot mortales sint ex veritate (Joh. 18, 37. 10, 4): sequitur, ut, quisquis sincero animo ad eum venerit, is, sicuti non fuerit omni veritatis amore absolute, ut loquuntur, destitutus (Joh. 18, 37. 5, 37. 44), ita jam, nova generatione Dei filius factus, non possit non aeternum ejusdem patris filium (1 Joh. 5, 1, coll. Joh. 8, 42), in eo que divinam veritatem (Joh. 14, 6. 2 Thess. 2, 10, coll. v. 12 & Rom. 1, 18. Joh. 3, 19 sqq.), sincero amore semperque vividiore complecti. Quamobrem in amore Christi, in quo, quatenus est Dei filius et imago, Deum Patrem, quatenus est hominis filius, fratres amamus (Joh. 14, 9-11. 1 Joh. 2, 23 — Matth. 25, 40, 45. 18, 5), in eo igitur amore genuinum inesse statuimus, vivum et vivificum ethicae Christianæ principium, ex quo fiat, testante apostolo (2 Cor. 5, 14 sqq.), ut veterem hominem, secundum concupiscentias erroris corrup-

tum (Eph. 4, 22), crucifigi et mori, licet ingemiscamus nonnunquam, velimus tamen et cupiamus (1 Cor. 9, 27. Gal. 5, 24), ut ad ejus conformemur imaginem, qui est aeterni Patris genuina imago (Col. 3, 10. 1 Cor. 15, 49, coll. Hebr. 1, 3. Col. 1, 15). Quibus rebus expositis, restat, ut, ratione in ascetica ethices Christianæ parte tractanda versandum esse nobis videatur, breviter aperiamus. Quum enim ea sit benignitas divina, ut ab ecclesia non necessaria solum salutis conditio, vitæ divinitus oriundæ communicatio et confirmatio (Joh. 3, 3. 6, 53), in utroque sacramento exhibita præbeatur mortalibus, verum offerantur etiam quædam vitæ illius novæ adjumenta eadem et documenta, quibus, quo magis in nobis dominetur indeoles spiritualis, eo magis utamur, quo magis utamur, eo magis in subienda carne sublevari nos sentiamus: de iis quoque hoc in capite agendum esse patet. Quæ ego tria esse crediderim, singula autem non apostolica solum auctoritate sed ipsius Domini exemplo commendata esse ecclesiæ. Ea sunt autem, primum oratio (Matth. 14, 23. Lue. 6, 12. 9, 18 — Rom. 12, 12. Eph. 6, 18. Col. 4, 2. 1 Thess. 5, 17), quam quidem constat Dominicam, ut ita dicam, esse debere cum verbis tum vero spiritu (Joh. 15, 7. 16. 16, 23. 24. Matth. 6, 9. sqq.); deinde verbi divini, & ejus, quod ore traditur ab ecclesia, &

ejus, quod adumbratur in scriptis propheticis et apostolicis, pia meditatio (Matth. 4, 4. 7. 10. 19, 4. 22, 31 — Rom. 6, 3. 15, 4. 1 Cor. 10, 11. 2 Tim. 3, 15. Apoc. 1, 3); tertio autem loco testimonii illius humani, quod per munus prædicationis evangelicæ et sermones fidelium propagatur, diligens auditio (Luc. 2, 46. 9, 31. 22, 43 — 1 Thess. 5, 12. 13. Hebr. 13, 17. Col. 3, 16). Ex quibus quum, sicuti ex respiratione et venarum pulsu pendeat et perspiciatur corporis valetudo, ita & pendere & perspici manifestum sit ejus, quam in Christo vivamus, vitæ vigorem ac sanitatem; sit vero etiam manifestum, nisi in quo omnino defecerit ea vita, neminem esse futurum, qui dubitet, quin ea nimis sit in ipso invalida atque infirma: hinc potissimum transeundum esse statuimus ad tertium scientiæ nostræ caput, in quo agatur de ea, qua gaudemus, vita, non per humanam in adhibendis mediis salutis fidelitatem ac constantiam, sed per divinam in servandis, quos elegit, gratiam (Rom. 8, 30. 37. 39. 2 Tim. 2, 13), ita evehenda et confirmando, ut apud Dominum, imo in Domino, quamdiu hic militamus, thesauri instar, cui ipsi non sufficiamus servando, recondita (Col. 3, 3. 2 Tim. 1, 12), non possit non, tandem aliquando devicta carne, plena et perfecta evadere.

Erit igitur tertium caput de sacra coena, in qua cum sanguine veniat ad suos Dominus, cum

corpore suo in usum eorum fracto (Luc. 22, 19.  
 1 Cor. 11, 24. Hebr. 10, 10), cum sanguine Novi  
 Foederis (Matth. 26, 28. 1 Cor. 11, 25. Hebr. 10,  
 29), in salutem eorum (Matth. 20, 28. Luc. 22,  
 20. Act. 20, 28. 1 Pet. 1, 18. 19) æternamque  
 irarum abolitionem (Eph. 2, 13-16. Col. 1, 20-  
 22) et peccatorum omnium expiationem (Eph. 1,  
 7. Col. 1, 14. 1 Joh. 2, 2. Hebr. 9, 12. 14) pro-  
 fuso. Cujus corporis pro nobis passi, sanguinis  
 pro nobis effusi communio quum efficiatur in sacra  
 coena, quemadmodum & indicant verba sacramen-  
 tum constituentia, & testatur Paulus apostolus  
 (1 Cor. 10, 16), sequitur, ut in hoc sacramento  
 perennem habeamus vitæ Domini nobiscum commu-  
 nicatæ & communicandæ fontem, ex quo, quoties  
 caro invalescere, vita autem in sacro lavacro nata  
 deficere aut torpere videatur, toties haurire possi-  
 mus ac debeamus, donec ejus vita nostra fiat, et  
 nos per eum, quemadmodum ipse per patrem suum  
 vivat, vivamus (Joh. 6, 57, coll. v. 53 & 5, 26).  
 Qua de re quum multa sint et querenda et expo-  
 nenda, non sunt ea tamen amoris divini mysteria  
 aut a juvenibus in Christo exspectanda, sed ab iis  
 potius, qui et ætate et caritate ad Johannem apo-  
 stolum & Polycarpum martyrem proxime accesserint,  
 aut hoc loco a nobis exigenda, quippe qui hic ra-  
 tionem ac methodum theologiae summisticæ adum-  
 brare, non ipsam scientiam repræsentare studea-

mus. Tantum monebimus, sicuti in conversatione fidelium describenda recurrere vidimus, reconditiore quodam sensu intelligendum, secundum præcipue fidei apostolicæ articulum, quem singulos Christianos & patiendo & triumphando referre oporteat, ita in tertio, de quo h̄ic agimus, scientiæ nostræ capite, tria præcipue ejusdem fidei membra ea ratione commemorari ac tractari oportere, ut, quæ aliquatenus cognita fuerint catechumenis et neophytis, eorum jam pleniorum et subtiliorem intelligentiam per sacræ coenæ participationem pululare ac provenire appareat. Ea sunt autem de morte Servatoris, de remissione peccatorum, de sanctorum communione. Et ad bina priora quod attinet, est id quidem manifestum, non posse quemquam ad baptismum accedentem fidem profiteri in Servatorem et Regem (Jesum, Christum) ecclesiæ, passum, crucifixum, mortuum, nisi ita, ut cum ceteris, quæ commemorantur ex vita ejus, eventis passionem quoque et mortem sentiat ad munus servandi homines pertinere; neque vero magis quemquam fidem posse amplecti in remissionem peccatorum, nisi ita, ut eam quoque Servatori illi deberi sentiat. At vero, quum Dominum in sacra coena dicentem audiverimus, Hoc est corpus meum, quod datur pro vobis, Hoc poculum Novi Testamenti in sanguine meo, qui effunditur pro vobis in remissionem peccatorum, neque

vero frustra ea verba sonare senserimus: tum de-  
mum, siquidem fides experientiam præcedit, expe-  
riential intellectum, tempus erit cognoscendi et pie  
scrutandi ea, quæ de obedientia, passione, morte  
Domini vicaria, qua pro nobis satisfecerit  
justitiæ divinæ, tradit & ecclesiæ vox<sup>1)</sup> & prophe-  
ticorum atque apostolicorum scriptorum testimo-  
nium (Jes. 53, 4-7. Rom. 3, 24-26. 8, 3. 2 Cor.  
5, 11. Gal. 3, 13. 1 Pet. 2, 24) & piorum theolo-  
gorum per omnia secula doctrina. Ad commu-  
nionem autem quod attinet sanctorum, eam,  
vestigiis apostolicæ doctrinæ (1 Cor. 10, 15-17)  
et usus loquendi ecclesiastici, in ipsa communionis  
appellatione conservati, insistentes, eodem modo  
per sacram coenam effici statuimus, quo constitua-  
tur per baptismum ecclesia catholica, unde sequi-  
tur, non esse quemquam illius communionis parti-  
cipem, nisi qui sit ecclesiæ filius et alumnus, non  
omnes autem, qui sint per baptismum regenerati  
et foederis baptismalis servarint fidem, ideo quo-  
que in communionem sanctorum esse receptos.  
Illa porro communio [quum sit sanctorum Dei pri-

<sup>2)</sup> Den korsfæstede og opstandne Christus Jesus,  
som nu har spiset og skienket Eder med sit  
hellige Legeme og Blod, hvormed han har fyl-  
destgjort for alle Eders Synder, han styrke og  
opholde Eder derved i en sand Tro til det evige  
Liv! Salutat. post s. coenam.

mum quidem cum Domino ac Redemptore suo arctissima conjunctio (1 Cor. 1, 9. 6, 17. 10, 16, coll. Hebr. 2, 11), deinde vero eorundem in eo, quippe qui sit et ecclesiæ suæ caput (Eph. 4, 15. 16. 5, 23. Col. 1, 18. 2, 19) et plenitudinis divinæ habitaculum ac templum (Col. 2, 9. Joh. 2, 19, coll. Joh. 12, 45. 14, 9. 10 & Joh. 3, 34. 16, 14. 15), partim inter se consociatio, quæ, quo vigeat magis, eo magis ad mutuam omnium & spiritualium & externorum bonorum communicacionem et participationem redundet (1 Cor. 10, 17. 1 Joh. 1, 3. 7. Act. 4, 32, coll. 2, 44. 45), partim cum Deo ter sancto beatissima unio (Joh. 14, 23. 17, 21. 1 Cor. 3, 16. 6, 19. 1 Joh. 1, 3): sequitur, ut in exponenda circa communionem doctrina disserendum sit de triplici illa, ad quam tendat Christianorum ex fide et in fide conversatio amoris perfectissimo vinculo consociandam, mystica sed reali unione. Ceterum non erit ibi subsistendum, sed, quum aut in illa unione (Joh. 17, 11. 22) aut nusquam experiri liceat similitudinem ejus, per quam unum sunt Pater, Verbum & Spiritus Sanctus, erit igitur hic agendum de mysterio Sanctissimæ Trinitatis et, quemadmodum in primo scientiæ nostræ capite de Patre & Filio & Spiritu Sancto seorsim, secundum diversitatem eorum, quæ a quoque profiscantur, beneficiorum, disputandum esse vidimus, ita hic, quan-

tum fieri poterit, exponendum de ineffabili sed vera ac reali eorum unitate. Eo autem nonnihil conferet, opinor, si, quibus appellationibus præter propria Patris, Filii, Spiritus nomina in sacra scriptura insigniantur, magis, quam fieri solet, attenderimus. Id enim si fecerimus, primum quidem Patrem et omnis caritatis fontem esse docebimur, et ipsam esse caritatem (1 Joh. 4, 7. 8. 16, coll. Rom. 5, 5), Filium illius caritatis esse genuinam manifestationem, verbum et veritatem (Joh. 1, 1. 14. 12, 45. 14, 6. 17, 17, coll. Joh. 18, 37), Spiritum Sanctum vitæ esse & libertatis principium (Joh. 6, 63. 2 Cor. 3, 6. 17. Rom. 8, 15); deinde vero eam esse deprehendemus circa illas substantiæ easdem et munericæ appellationes inter eos communionem, ut, quæ caritas de nemine judicium ferre sed omne judicum veritati tradidisse dicatur (Joh. 5, 22), ea tamen ἀπροσωπολήπτως judicatura dicatur, nimirum per veritatem, secundum opera uniuscujusque (1 Pet. 1, 17, coll. Act. 17, 31), ut, in qua veritate sit vita (Joh. 1, 4. 1 Joh. 1, 1), ea vita simpliciter appelletur (Joh. 14, 6. 1 Joh. 1, 2), quæ vita sit veritatis (Joh. 14, 17. 15, 26), ea veritas vocetur (1 Joh. 5, 6, coll. 2 Cor. 3, 17. 18). De quibus tamen mysteriis, quippe quæ facilius sit venerari ac suspicere, quam vel cogitando vel disserendo ita persequi, ut non omnino indigna sint, quæ dicantur, tantarum rerum majestate, non est, quod hic plura

exponantur. Tantum ex iis, quæ dicta sunt, elucere putamus, in tertio eodem et ultimo theologiæ summisticæ capite utramque paginam factura esse bina illa, quæ sunt in religione Christianorum intima, **r**edemptionis in sanguine Jesu Christi & **u**nitat<sup>i</sup>s in trinitate divina mysteria, naturali homini scandala (1 Cor. 1, 23 & Joh. 10, 30. 31. 33), in ecclesia credita, in quæ angeli gestiant inspicere (1 Pet. 1, 11. 12 coll. Apoc. 5, 3. 7. 9, & Jes. 6, 2. 3 coll. Joh. 12, 41).

Habes benevole lector! nostram de notione ac delineatione theologiæ summisticæ sententiam, in qua non est quod diutius commoremur vel illustranda vel commendanda et tuenda. Presse enim sequitur naturalem rei ipsius, de qua agitur, decursum, ab ea autem ut in nostra scientia vitaeque Christianæ descriptione magis quam in ceteris discedendum esse statuamus, firmissimis opus est, quæ nondum sunt, quod sciam, prolata, argumentis. Etenim quid est, ut exemplo utamur, allatum, quamobrem, si quis ad sacram coenam catechumenos invitaverit, in ea præparatos ad baptismum tandem aliquando adducturus, is ab omnibus tantum non pro insano habeatur; si quis in expnenda de fide Christiana doctrina vel primum caput fecerit de sacra scriptura, in quam omnino non profitentur fidem Christiani, inter postrema aut postremis proxima conjecterit, quæ sit de fide et

baptismo, sine quo nemo potest esse Christianus, disputaturus, vel post doctrinam demum de sacra coena, ad quam nisi post baptismum susceptum nemo admittitur, expositam locum adjecerit de ecclesia, in quam omnes, antequam baptizantur, fidem profiteri oportet, is solide et subtiliter in rebus gravissimis versari judicetur? Quid poterit autem unquam afferri pro talibus rei ipsius in scientia non tam inversionibus quam eversionibus, quod sit valitulum, quum ipsum Dominum testantem habeamus, fieri non posse, ut, qui terrestria credere recusent, ii coelestia credant (Joh. 3, 12), eodem vero loco inter terrestria religionis suæ mysteria regenerationem manifesto numerantem (Joh. 3, 3-11), inter coelestia, nisi fallor, aretissimam suam cum patre suo unionem (Joh. 3, 13 *et alii.*  
*τ. οὐρ., coll. I, 18. 8, 58*) et mortem pro salute generis humani subeundam (Joh. 3, 14-16)? Nisi forte de iis primum est philosophandum ac dogmatizandum fidei mysteriis, quæ postremum credere discamus, et ab iis demum, tanquam a solidi adulorum cibo, ad lac infantium, saltem non apostolico exemplo (1 Cor. 3, I. 2), transeundum.

#### § 14.

His ita constitutis, vix est, quod quæramus, utrum vera sit aliqua, quæ & sibi constet & cum

universi studii theologici ratione conveniat, theologiae dogmaticae notio, necne. Etenim, si verum est, ex tribus illis, ad quos universum philosophicæ theologiæ complexum revocari posse vidi-  
mus, locis, primum tantum et tertium in theolo-  
gia dogmatica explicari, secundum autem, per quem  
unice pateat ad hunc ab illo transenundi via, ita  
præteriri, ut totus ethicæ Christianæ relinquatur:  
quis est tandem, qui ejusmodi de vita divinitus  
oriunda in ecclesia vigente expositionem, in qua et  
prima illius vitæ initia et absoluta ejusdem perfec-  
tio philosophice considerata describatur, quæ au-  
tem ex illis initiis provenire debeat fidelium con-  
versatio, per quam & ea initia vere divina, non  
nomine et specie, sed re et actu esse intelligan-  
tur, & illa perfectio sensim præparata tandem  
possit efflorescere, aut omnino prætereatur aut  
verbo commemorata relinquatur — quis est igitur,  
qui ejusmodi expositionem aut scientiæ aut disciplinæ  
nomine dignam esse statuat? Quid enim?  
estne ita, ut, quisquis, fidem amplexus, ex aqua  
et spiritu fuerit regeneratus, is non possit non  
bona opera edere? Id autem si fateri cogimur,  
qui potest, quæso, ea fides et is baptismus solide  
describi, nisi ita, ut, qualis sit ejus in mores ho-  
minum efficacia, quas pariat virtutes, quæ gignat  
opera, quem ferat denique sentiendi et agendi  
modum, id non per nudam aliquam sanctificationis

commemorationem breviter et negligenter significetur, sed accurate per singula eundo exponatur? Quid est porro, quod dubitemus, sicuti remotissima sit a naturalis hominis statu et conditione vita Christianæ perfectio, ideoque difficilius quam inferiores ejusdem vitæ atque curieuli gradus adumbrari possit a nobis, ita, ut aliquatenus tamen adumbrari possit, id unice fieri per eorum, quos dixi, graduum cognitionem et descriptionem; petendos igitur esse ex conversatione fidelium, in carnis quidem fragilitate sed non secundum carnem ambulantium (Gal. 5, 16. 17. Rom. 8, 4), eos colores, quibus eorundem, carne tandem triumphatâ, in sanctitate beatitudo eatenus depicta illustretur, quatenus illustrari possit ab iis, qui nondum sint nisi spe servati, germe tantum sancti et beati (Rom. 8, 24. 1 Cor. 1, 2. 2 Pet. 1, 10). Neque vero hic objicere licebit, presupponi, ut barbare loquamur, eam, quam requiri mus, de fidei in mores fidelium efficacia institutionem ex altera theologiae philosophicæ parte, ethica nimirum Christiana. Quæ est enim ea futura disciplina, cuius non principium et finis ex alia sint scientia petenda, sed medium aliquod membrum, sine quo prima ejus cum postremis omnino non cohæreant? Quamobrem, quum constet, eam fidem, quæ non sit bonorum operum foecunda, mortuam esse (Jac.

2, 26), non est, quod miremur, eas fidei Christianæ descriptiones, in quibus aut verbo tangatur aut omnino prætermittatur cum triplex, quem vocabant veteres, legis usus tum vero nova fidelium obedientia, eas igitur theologiæ dogmaticæ institutiones ita, cadavérum instar putredini relictorum, dissolvi et per partes ac particulas distrahi, ut, quæ proxime cohæreant, ea longissime nonnunquam disjungantur, quid primum esse debeat, quid postremum, id non tam ex rei ipsius natura constitui, quam aut ex traditione quadam dogmatica servatum retineri videatur, aut pro arbitrio ingeniosissimi cuiusque theologi, sibi fidentis, mutari.

## § 15.

De notione autem ethices Christianæ non magis esse putamus difficilem post ea, quæ sunt a nobis hactenus disputata, quæstionem. Si enim jure nostro docuimus, secundum theologiæ summiстicæ locum universam esse comprehensurum institutionem de pia, justa, casta fidelium conversatione; ejus autem genuinum principium, amorem dico Servatoris, ex nova generatione oriundum, in primo ejusdem scientiæ capite deduci, ut loquuntur philosophi, posse ac debere ostendimus; finem porro, quo tendat, in loco de sacra coena commemorari

oportere monstravimus: nihil esse video, quod prohibeat, quominus ex vulgari minusque accurato loquendi usu scientia, ex eo, quem nobis arridere significavimus (pag. 61 sq.), disciplina theologiae summisticae subjecta esse judicetur ethica Christiana, cuius & sibi constet & cum universi studii theologici natura conveniat notio. Eam autem notionem ita esse putamus constituendam, ut ethica Christiana philosophica sit de Christi veritatisque amore disciplina, qui amor, ex regeneratione oriundus, Domini insistens vestigiis, ad plenam tendat ac perfectam, carne tandem aliquando debellata, in objecto suo quietem. Quibus de rebus, quum partim vulgarem sequamur sententiam, partim ea doceamus, quae ex rebus supra expositis manifesto sequantur, non est, quod hic quidem plura dicantur.

### § 16.

Restat quæstio de notione et genere apologeticæ Christianæ, quam ex vulgari quidem sententia, ceterum, nobis judicibus, minus accurata, ad philosophicam theologiae Christianæ partem referri supra ostendimus. Qua de re ut intelligatur sententia nostra, nonnihil erit præmittendum

de iis, quæ pro fidei nostræ veritate afferri solent, argumentis rite æstimandis et tractandis.

De quibus, ut quam brevissime dicam, hoc est judicium nostrum. Quamquam non solum non negligendam, sed maximi faciendam esse arbitramur eorum in defendenda religionis nostræ veritate rationem, qui vel revelationis, miraculorum, mysteriorum notiones nihil continere docent, quod sit rectæ rationi contrarium; vel eos esse singulos fidei articulos probatum eunt, qui & inter se præclare cohæreant & cum omnibus iis conspirent, quæ mens humana sibi relicta assequi valeat; vel eam esse monstrant totius religionis Christianæ naturam, quæ hominibus peccatoribus et mortali- bus, quales nos omnes esse sentiamus, sit aptissima et summe salutaris: nimis tamen eam urgeri putamus a doctis et indoctis, immerito autem negli- gi præ ea alteram, non minus utilem veritatis Christianæ tuendæ viam, in qua ex historia gene- ris humani cum historia ecclesiæ comparata ducan- tur argumenta. Neque enim satis felices esse viden- tur, qui hue sunt fortasse referendi, multorum in- ter Protestantes theologorum conatus, qui authen- ti-  
tiam sacræ scripturæ, integritatem, axiopistiam testi- moniis evincere conantur scriptorum ecclesiaticorum, gentilium, hæreticorum, inde ad probandam per- gunt ejus fidei veritatem, quam adeo manifestis signis, in libris sacris commemoratis, veram esse appa-

reat. Erit autem, si in apologetica historicis uti voluerimus, magnopere cavendum, ne quid affera-  
mus aliud, quam quod sit certissimum. Pri-  
mum sit igitur, esse aliquam et fuisse per secula  
jam duodeviginti, amicis et inimicis conspicuam,  
Christi nomine ornatam ecclesiam, eam porro  
& esse ab initio suadendo tantum et docendo  
propagatam & nolle, utpote quæ ab hominibus ad  
se accendentibus fidem requirat, rem omnium liber-  
rimam, quæ nulla vi extorqueri queat, nolle igi-  
tur aliter quam per doctrinæ sueæ prædicationem  
fines suos dilatare; eandem vero, quum sæpissime  
fuerit partim a doctis et ingeniosis hominibus verbis  
et doctrina, partim a regibus populisque tumultuanti-  
bus vi et armis impugnata, victricem tamen ex om-  
nibus periculis ad hunc usque diem evasisse et ex  
parvis initiis ita crevisse, ut maxima imperia inter  
suas numerarit ac numeret provincias, et ne annis  
quidem vetustatisque omnia mutare valentis cessu-  
ra esse videatur injuriis, utpote quæ, aquilarum  
instar jam sæpius renovata, nostro quidem ævo re-  
centibus viribus novos meditetur triumphos. Quæ  
quum ita sint, sequitur, ut, nisi forte aut revera  
infernalem sedem et diaboli regnum esse putamus  
has terras, quo nullum unquam penetrarit veritatis  
verbum, aut dubitamus, num omnibus mendaciis  
debellandis una sufficiat veritas, verbum aliquod.

veritatis ejusque, quoniam veritatis de se testimonium audiendum esse appareat, divinæ & fuerit ab initio inde in castris Christianorum & hodie sit ibi, illud nimirum fidei et sacramentorum verbum, sine quo nulla esset, aut nulla re a mundo distingu posset ecclesia, in cuius autem confessione ad hunc usque diem & una manserit inter humana rum opinionum et hæresium fluctus & victrix inter arma hostium. Quod si est verum, efficitur, pri mum quidem veram esse ac divinam fidem Christianorum, deinde vero, si cui credendum sit mortali in tantis peccati, mendaciorum, errorum tenebris, eorum esse in ceteris quoque rebus credendum testimonio, qui circa divinam illam veritatem, ut milites circa vexillum, congregati, licet ipsi, semet parum fortiter nonnunquam cum pravitate naturæ pugnare, fateantur, studio tamen et voluntate ad bonas partes pertinere videantur. Est igitur, quod credamus, non fluxa illa et frigida persuasio ne, qua, qui Xenophontis feruntur de vita Socratis commentarii, eos & genuinos esse ejus libros & integros ad nos pervenisse crediderit aliquis, sed viva et firma animi assensione, ad religiosam fidem accedente, partim apostolicos esse et authenticos, quicunque pro apostolicis habitu serventur atque adhibeantur in ecclesia libri, ceteros autem, qui cum his una serventur et adhibeantur, multa continere, quæ sint fidelibus scitu utilia, ni-

hil, quod fidei nostræ sit contrarium; partim nullius unquam libri melius prospectum fuisse integrati, quam eorum librorum, qui in ejusmodi coetu magnam partem publice fuerint quotannis recitati, quos potuerit plerumque legere, quisquis voluerit, debuerint autem relegere, qui propter præstantem sapientiam et pietatem ceteris præficerentur instituendis et regendis. Ad axiopistiam porro quod attinet scriptorum sacri codicis, non erit profecto, ab his quidem initiiis profectis, dubitandum nobis, quin, quos viros in nomine Jesu eum coetum instituisse noverimus, in quo innumeris per omnia secula mortalibus, peccatorum et errorum tenebris obcoecatis, sol affulserit veritatis, in quem receptæ et barbaræ gentes et nationes doctrina exultæ, depositis vel belluinæ feritatis vel luxuriæ et libidinis sordibus, si non divinam at humanam vitam vivere didicerint, iis, quum tanta in confessu sint eorum opera, humano generi salutaria, humanis viribus majora, fides habenda sit narrantibus, quæ aliis non credituri essemus auctoribus, de prophetiis signisque Domini his in terris vitam ecclesiæque initia illustrantibus. Quibus rebus ordine propositis et confirmatis, si quis excerpta ex sacro codice, cuius jam constet auctoritas, singula, quæ ibi commemorentur, eventa ita considerare et tractare voluerit, ut, quicquid faciat ad illustrandam divinam fidei nostræ originem et

efficaciam, id in lucem proferatur, et, quam ex historia generis humani ecclesiaeque Christianæ, tanquam ex firmissimis fundamentis, surgere vidimus solidissimam argumentationis columnam, ea, quam possit fieri studiosissime, elaborata et expolita in majorem Dei gloriam exhibeat: ille nec frustra, nobis quidem judicibus, operam insumet, nec parvæ utilitatis futurum opus inchoabit. Unum illud cautum volumus, ne, quod in hac quidem re vulgo fieri videmus, ab infirmioribus tanquam a fundamentis fiat initium, contra, quæ per se possunt constare, ea aut omnino prætereantur, aut obiter magis commemorata quam solide tractata relinquantur.

Hæc igitur quum sit sententia nostra de tractando historiæ pro veritate religionis Christianæ testimonio, sit autem manifestum, sicuti, quicquid de magnitudine rerum ab ecclesia per illud verbum gestarum virtutibusque omnibus ex illius victoria ubique terrarum provenientibus, cum eo autem simul deficientibus historiæ fuerit prolatum, id tum demum sit argumenti vim habiturum, quando philosophando probatum fuerit, fieri non posse, ut vel ullum aliud verbum sit veritate potentius, vel ullum mendacium ullusve error & per seculorum decursum sibi constet & ex amaro fonte dulces aquas effundat; ita, quod priore loco commemoravimus philosophicum pro veritate religionis

nostræ argumentum, in quo notiones revelationis, miraculorum, mediatoris, redemtionis cet. & sibi constare & cum recta ratione convenire monstratur, id tum demum alicujus futurum esse momenti, quando historicis testimoniis evictum fuerit, Christianas quoque esse eas notiones, h. e. aut a Domino apostolisve ejus propositas aut ex doctrina eorum manifesto fluentes: haud ægre inducimur, ut statuamus, eam historici generis cum philosophico conjunctionem atque unitatem, ad quam utramque studii theologici partem, ut cum altera coalescat, tendere monstravimus, sine qua non una scientia futura sit theologia, sed fragmentorum male cohaerentium coacervatio, — eam igitur conjunctionem in apologetica Christiana ita vel præparari vel præfigurari, ut apologetica perfecta verum et genuinum sit complexura universæ theologiæ systema, Christiana vicissim theologia ad summam perfectionem adducta plena futura sit veritatis divinæ in Christo revelatæ apologia et defensio, in qua nullæ non illustrentur ejus aut notiones et ideæ aut res per seculorum decursum gestæ. Hinc autem facile intellectum iri speramus, quid sit, quod neque omnino falsam esse judicemus, neque tamen non mancam et erroneam eorum sententiam, qui apologeticam ad philosophicam theologiæ partem referendam esse docent. Quod enim nullam esse vident apologeticam

questionem, in qua philosophica desiderari possit res religiosas considerandi ratio, multas esse autem, quæ sint data opera in theologia philosophica tractanda, id quidem verissimum esse putamus; quod autem non vident, earum rerum utramque de historica quoque res religiosas considerandi ac tractandi ratione valere, in eo falli nobis videntur. Quibus de rebus tamen breviter indicare malumus sententiam nostram quam accurate illustrare et argumentis comprobare, alio loco, volente Deo, ea de re dicturi.

## Sphalmata typographica.

Pag	14	Lin.	6	in	textu	postatem	leg.	potestatem
—	14	—	2	in	not.	sum	leg.	rum
—	16	—	18	in	textu	distinctam	leg.	distinctum
—	16	—	28	—		investigant	leg.	investigant,
—	18	—	24	—		videtur,	add.	partim omnino sibi vindicatura,
—	20	—	3	—		ecelebrari	leg.	celebrari
—	27	—	20	in	not.	ponendum	leg.	ponendam
—	32	—	4	in	textu	comprehendentis	leg.	compre- hendentis,
—	44	—	1	—		carum	leg.	earum
—	61	—	6	in	not.	necessaria	leg.	necessaria
—	64	—	10	in	textu	ingeniosisissimo	leg.	ingenio- sissimo
—	73	—	25	—		ratio,	leg.	ratio-
—	96	—	28	—		speraverint	leg.	speraverint,

